MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80598-19

AUTHOR:

KAMPFNER, PAUL

TITLE:

DE ANACOLUTHIS APUD THUCYDIDEM

PLACE:

MONASTERII

DATE:

1868

Master Negative #

92-80598-19

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Kampfner, Paul.

De anacoluthis apud Thucydidem... Monasterii, ex typographia Iosephi Krick, 1868.

46 p. 22 cm.

Thesis, Munster, 1868.

Vol. of pamphlets.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 10/11/93 INITIALS my

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

DE

ANACOLUTHIS APUD THUCYDIDEM.

DISSERTATIO PHILOLOGICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM ACADEMIA REGIA

MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XIX. MENSIS DECEMBRIS A. MDCCCLXVIII

IN PUBLICO DEFENDET

SCRIPTOR

PAULUS KAMPFNER

GUESTFALUS.

MONASTERII

EX TYPOGRAPHIA IOSEPHI KRICK

MDCCCLXVIII.

AVUNCULO SUO CARISSIMO

HENRICO FUERSTENBERG

MED. DR., EQUITI P. P.

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

SCRIPTOR.

De anacoluthia in universum.

§. I.

Scriptores cujusvis linguae fere omnes, quamvis virtutibus, quod attinet ad elocutionem, necessariis, puritate, perspicuitate urbanitateque in universum sint insignes, tamen in singulis haud raro his boni sermonis legibus neglectis summam perfecti speciem videmus non assecutos; alteri enim harum virtutum ut satisfaciant, laedunt atque violant alteram. Sic severioris dicendi normae persaepe incuriosi justam constructionis formam in cogitationibus suis exprimendis relinquunt atque plus minusve admittunt peccatum. Sensus quidem in tali rerum condicione jacturam plerumque non facit optimeque erui potest atque intellegi; verba autem, si grammaticam spectas, quippe quae ejus praeceptis prorsus repugnent, movent reprehensionem. Tota vero ita orta structura est nota illa proprietas s. idioma, cui grammatici singulare anacoluthi imposuerunt nomen.

Sed haec definitio quum generalior sit, quam quae ab omni parte possit perspici, ne incerta ambiguaque notione deceptus, ubi haec loquendi forma statuenda est, eam non statuam, statuam autem, ubi non est statuenda, notionem anacoluthi paulo uberius exponam ejusque provinciam certioribus finibus circumscribam erit necesse.

Anacoluthiam talem esse statuo enunciati formam, in qua coepta structura turbatur et interrumpitur aut prorsus

relinquitur et in aliam commutatur, quae grammatice illi non respondet, logice vero, quod ad res sensumque attinet, par aut certe similis est.

Grammatici, qui hanc rem tangunt, alii alias protulerunt explicationes, quas quum longum sit commemorare atque disceptare praetermitto. Prout autem anacoluthiae angustiores ponunt fines aut latiores, complura, quae, ut mea fert sententia, necessario ad eam pertinent, neglegunt, alia contra afferunt, in quibus nihil anacoluthiae suspicari licet; simplices orationis variationes, quibus nihil frequentius est in lingua Graecorum, saepe anacolutha nominant. Sic G. Hermannus quoque, ceterum in rebus grammaticis judex locupletissimus, de variis hujus idiomatis generibus disserens [1]) nonnulla pro anacoluthis vendit, quae equidem alio modo explicare malim. Si e. g. substantiva vel adjectiva, quae a verbis derivata sunt, cum eodem, quem verbum regit, casu construuntur, quemadmodum, ut Thucydidis exemplo utar, I. 73. 1 *ἡ ἀντιλογία τοῖς ὑμετέροις ξυμμάχοις* formatum est, talis structura eximie offendere non potest. Notanda tantum est illa significationis celeritas (*τάχος τῆς σημασίας*), qua austerae dictionis auctores [2]) saepissime utuntur: propria natura verbalis (*ἀντιλέγειν τινί*) praevalet dativumque efficit. Eadem ratione excludo accusativos illos, qui vocantur, relationis, Graecis usitatissimos; sic etiam eos accusativos, qui a verbis eundi, aliis, reguntur, ut Thuc. I, 3. 4 *τὴν στρατείαν ξυνῆλθον* I, 15. 2 *στρατείας ἐξῄεσαν*, quos ex analogia illorum *νίκην νικᾶν, μάχην, ναυμαχίαν νικᾶν, Ὀλύμπια νικᾶν* (I, 126. 3) *πόλεμον στρατεύειν* (I, 112. 3) dictos puto; alia, quae quum in Thucydide non inveniantur, h. l. praeterire liceat. Insoliti quidem omnes hae structurae aliquid habent, anacoluthas autem eas nominare non audeam.

---

[1]) Cf. append. ad Viger. ed. III, p. 895 sqq.
[2]) Cf. C. O. Müller, Littrgesch. II, p. 363.

Anacoluthi causae quales sint.

§. II.

Scriptores optimos, qui universe eximia quadam in scribendo usi sunt cura et diligentia, si a severiore dicendi norma recedunt, certa aliqua causa ductos esse, recte concludi potest. Ea enim, quae nos in ipsorum libris insolentius scripta esse facile videmus, ipsos non vidisse credibile non est. Quum autem emendatius accuratiusque scribere possent, quid eos prohibuit corrigere, si quid iis insolentius excidisset? Cujus rei una eademque probabilissima excogitari potest causa, eos noluisse non ignorantes, neglegentiam, quae diligentiae quandam haberet speciem, gratam esse et jucundam. [1]) Simul etiam talibus insolentiis id egerint atque se iis efficere intellexerint, ut lectores redderent attentiores excitarentque ad cogitandum. Huc accedit, quod iis ad orationis brevitatem efficiendam, vim augendam perspicuitatemque servandam saepe nihil relinquebatur, nisi anacoluthia. Praeter has causas, si consideramus Graecorum linguam propter summam verborum sententiasque jungendi modorum copiam maxime esse idoneam ad orationem variandam, si reputamus, Graecos pro ingenii sui mobilitate atque alacritate sententias magis, quam verba respicientes in scribendi calore facile adduci potuisse, ut grammaticam constructionis subtilitatem relinquerent, apparet, unde auctores Graeci tam ingentem anacoluthorum multitudinem in scriptis suis exhibeant.

Si autem nonnulli viri docti, Buttmannus, Matthiaeus [2]) alii contendunt, scriptores Graecos ut ita dicam classicos

---

[1]) Cf. Ernesti, de grata negligentia orationis, in opusc. phil. et crit. p. 126 sqq.
[2]) Cf. Buttm. gr. gr. §. 151 p. 448 sqq. Matth. gr. gr. §. 531 p. 1524.

nusquam sine consilio anacolutha usurpasse semperque laudabilem in iis secutos esse finem, hi mihi nimii esse videntur. Loci enim satis multi exstant, qui huic sententiae prorsus repugnent. Affero e. g. Thuc. IV, 37. V, 46. 3 (cf. infra §. XXII) quos locos equidem mera ex neglegentia ortos puto. Ut interdum peccet, optimo cuique accidere potest.

§. III.

Thucydides vero, ad quem jam oratio nostra descendit, ut tam multas liberasque sibi permitteret structuras, et iis, quas modo commemoravi, et aliis factum est causis.

Summi momenti hac in re est peculiare ejus ingenium. Vir gravis semperque sibi constans, alta et divina quadam mente praeditus orationem sine labore perspicuam facileque currentem scribere non potuit. Defixus in rebus, quas describit, impletus sententiarum rerumque copia et plenus studii hanc copiam quam paucissimis verbis exprimendi, rebus ipsis ita commovetur, ut iis solis intentus per sententias abripiatur itaque grammaticae singularum enunciati partium colligationis rationem non habeat. Alteram sententiam scribens proprie jam ad alteram novam transit antecedentique eam adjungit alia atque ea qua inceperat structura, sive illa commodior ei videbatur aut magis perspicua, sive lingua, qualis tunc erat, ad hanc sententiarum copiam exprimendam non suppetebat. Nondum enim ea aetate oratio pedestris ad illam ubertatem, copiam, mobilitatem atque venustatem erat perducta, quibus rebus postea floruit. Thucydides enim stat in primo limine orientis prosae orationis quae dicitur Atticae. Historici, qui ante eum exstiterant, logographi illi, omnes Jonica dialecto erant usi insuperque eo tantummodo a poëtarum sermone recesserant, quod singulorum versuum vincula solverant. Ita Thucydidis aetate prosa oratio, quae inde a bellis Persicis orta erat itaque vix e cunabulis prodierat et in pueritia admodum versabatur, prorsus conformata et exculta esse non poterat. Quare prisca illa vetustas, cujus aliquid Thucydidis lingua prae se fert, omnino non affectata imitatio, qualis in Latinitate Sallustii, est habenda, sed potius inde explicanda, quod dialectus Attica etiam Periclis aetate Jonicas atque epicas particulas non prorsus rejecerat atque segregaverat. In hanc autem imperfectam linguae formam Thucydidis tantam rerum sententiarumque copiam saepenumero vix potuisse coartari facile apparet.

Non minimum denique id valere existimo, quod historicum orationis genus, cujus Thucydides clarissimus est auctor, suum jus suamque proprietatem habet et imprimis est dignum, quod in scriptoris nostri elocutione recte aestimanda spectetur.

Quum in omnibus dicendi generibus quasdam res proprias et singulares inesse appareat, quibus rebus suus cuique generi ornatus et sua natura fingatur, historico generi haud pauca convenire videntur. „Aliud enim, quod ad elocutionem attinet, est, philosophorum causas tractare, aliud carmina componere, aliud forenses orationes facere, aliud historias scribere.“ [1]) Quod verum esse jam veteres multis locis confirmant. [2]) Affero Quintilianum, qui eo loco, [3]) ubi poëtarum lectionem oratori plurimum conferre ad ornandam et locupletandam dictionem exposuit, de historia dicere pergit: [4]) „Historia . . . est proxima poëtis et quodammodo carmen solutum, . . . ad memoriam posteritatis [5]) et ingenii famam componitur ideoque et verbis remotioribus et liberioribus figuris taedium evitat.“ Postrema quidem haec verba, histo-

[1]) Cf. Quintil. J. O. IX, 4. 18 sqq.

[2]) Cf. Cicero de orat. II, 13. 54; 15. 62 sqq. Plin. ep. V, 8. 9.

[3]) Cf. J. O. X, 1. 27 sqq.

[4]) Cf. J. O. X, 1. 31.

[5]) Cf. illud Thuc. I, 22. 3 κτῆμα ἐς ἀεί.

riarum scriptorem ideo liberioribus uti figuris, ut lectorum taedium evitet, veram propriamque causam minime continent. Historico potius quum in exponendis rebus gestis describendisque id maxime agendum sit atque efficiendum, ut lector res illas suo sensu percipere possit, quae figurae orationis et quae verba verborumque structurae, quamvis liberae sint insolitaeque, huic fini optime consulant, ea potissimum eligenda sunt; praeterea autem in universum operam det necesse est, ut verba rebus, quas narrat, reddat digna. „Historici summum est, facta dictis exaequare.“ [1]) Hoc vero munus Thucydides ab omni parte amplexus neque, ubi utile videbatur, veritus est, eo licentiae procedere, ut gravissimas admitteret anacoluthias.

Si omnes has causas, quarum alia alio loco fons structurae disconvenientiarum fuerit, respicimus atque consideramus, tantum abest, ut, quod plerumque fit, frequentes Thucydidis anacoluthias reprehendamus et in vitiis ponamus, ut eas, quippe quae gravia adjumenta sint in expingenda rerum descriptarum imagine, quodammodo laudemus atque admiremur.

De variis anacoluthi generibus.

§. IV.

In considerandis anacoluthis recensendisque duo principalia discernamus genera necesse est; quorum unum ex Graecae linguae proprietate nascitur, alterum ex scriptoris cujusque indole vel condicione. Illud genus viri docti vocant grammaticum, hoc, cui Hermannno [2]) praeeunte ea quoque quae merae neglegentiae debentur anacolutha adnumerare

[1]) Cf. Sallust. Catil. III, 2.

[2]) Cf. append. ad Viger. l. c.

liceat, rhetoricum. Hoc autem discrimen, quum plerisque anacoluthis grammaticis aliquid rhetoricum subesse facile appareat, haud raro vix servari potest. Quare hujus distinctionis, quam principio in commentatione observare in animo mihi erat, rationem habere utile non duxi. Aliam igitur institui partitionem; quae si non prorsus comprobatur, propter ingentem anacoluthorum multitudinem et variam ancipitemque anacoluthi notionem, quare quum multi loci ita comparati sint, ut summa oriatur dubitatio, cuinam generi recte adnumerentur, genera atque classes constituere difficillimum est, spero fore ut facile mihi ignoscatur.

§. V.

Simplicissimum anacoluthiae genus eo oritur, quod ordo verborum particula aliqua inserta interrumpitur. Sic saepenumero post longam protasin, cui complura explicandi causa addita sunt, praecipue post parentheses sequitur apodosis cum *δὲ* particula conjuncta. Et primum quidem apud Thucydidem hoc *δὲ* additum invenimus, quum protasis orditur a conjunctione temporali, imprimis ab *ἐπεί*. Cf. I, 11. 1 [1]) *ἐπειδὴ δὲ ἀφικόμενοι μάχῃ ἐκράτησαν* (*δῆλον δέ* ...) *φαίνονται δ'οὐδ'ἐνταῦθα κ. τ. λ.* (de priore *δὲ* cf. §. X). Non autem comprobare possum, quod Krueger. ad h. l. dicit, *δὲ* apodoseos positum esse non propter (nimis brevem) parenthesin cf. I, 18. 1, sed quia apodosis protasi opposita contineat. Sane, propriam suam naturam *δὲ* servavit, ut h. l., ita etiam 18. 1; qua igitur re hi duo loci inter se differant, equidem omnino non video. Causa inserti *δὲ* prorsus eadem mihi videtur; nam ut 18. 1 verba *ἐπειδὴ δὲ οἵ τε Ἀθηναίων τύραννοι ... κατελύθησαν* post parenthesin verbis *μετὰ δὲ τὴν τῶν τυράννων κατάλυσιν* repetuntur, sic etiam 11. 1 sententiae „*ἐπειδὴ δὲ ἀφικόμενοι ἐκράτησαν*“ vis certe parenthesi inter-

[1]) In paragraphis definiendis sequor editionem Kruegeri.

posita repetitur his verbis: *φαίνονται δ' οὐδ' ἐνταῦθα.* Sequens etiam *τῆς τροφῆς ἀπορίᾳ*, quod jam initio enunciati occurrit, aperte docet, orationem ordine structurae parenthesi interrupto post parenthesin de novo quasi perinde atque 18. 1 incipi. — V, 16. 2 cum duobus codd. *τότε δὴ* legere malim cf. §. VII. — His locis protasis jam instructa est particula *δὲ*, quam repetit apodosis. Si autem in protasi *δὲ* non praecedit, Thuc. *δὲ* in apodosi infert post articulum tantum cf. Classen. tom. I, Anh. p. 253, cf. II, 46 *ἆθλα γὰρ οἷς κεῖται ἀρετῆς μέγιστα, τοῖς δὲ καὶ ἄνδρες ἄριστοι πολιτεύουσιν.* II, 65. 3 *ἐπεί τε ὁ πόλεμος κατέστη, ὁ δὲ φαίνεται κ. τ. λ.*, ubi tamen Hartung. de part. I, p. 185 annot. *τὲ* in *δὲ* commutavit, qua conjectura admissa hic locus supra allatis omnino similis esset; mutatio autem vulgatae non est necessaria; III, 98. 1 init.; aut post pronomen demonstrativum cf. I, 37. 3 in fin. Sequor enim Hertlein., qui (Ztschr. f. A.-W. 8. 3 p. 825) *τοσῷδε* in duo vocabula dissolvenda censuit, duobus Thucydidis locis nisus IV, 28. 3 et VIII, 24. 4, ubi *ὅσῳ—τόσῳ* est usurpatum cf. Classen ad h. l.

Omnibus his locis haec particula vim suam adversativam servat, ita ut vocabulum, cui additur, cum vi quadam efferatur atque protaseos vocabulo alicui opponatur, quod dilucide apparet VIII, 70. 1 *ὡς δὲ ἥ τε βουλὴ καὶ οἱ ἄλλοι πολῖται . . . ἡσύχαζον, οἱ δὲ τετρακόσιοι κ. τ. λ.* Haack. quidem et Krueg. h. l. *δὲ* in suspicionem vocarunt, quum ejusdem usus exemplum in Thucydide aliisque non inveniatur. Attamen permultum hic locus ab aliis modo allatis non differt; praeterea *τοὺς τετρακοσίους* h. l. aptissime *τῇ βουλῇ καὶ τοῖς ἄλλοις πολίταις* opponi nemo negabit; quare retineo.

Interdum etiam praegresso *μὲν* imprimis post participia apodosi *δὲ* inseritur. Hoc modo Hart. l. c. p. 187. Herm. ad Soph. El. v. 1059 et Buttm. ad Mid. p. 149 explicant I, 67. 2 *Αἰγινῆταί τε φανερῶς μὲν οὐ πρεσβευόμενοι, δεδιότες τοὺς Ἀθηναίους, κρύφα δὲ, . . . ἐνῆγον λέγοντες κ. τ. λ.*, *κρύφα δὲ* cum *ἐνῆγον* conjungentes. Praefero cum Haack. *κρύφα δὲ*,

comma posito post *δὲ*, ad *πρεσβ.* referre. Ita enim inconcinnitas tollitur cf. Krueg. ad Dion. p. 100 et histor. phil. Stud. II, p. 219. Addi potest, sensui quoque hac interpunctione consuli; clam enim certe Aeginetas legatos misisse, ex sequentibus *ἐνῆγον* et *λέγοντες* aperte elucere mihi videtur. Mire denique comparatus est locus I, 10. 4, quum *δὲ* antecedenti *μὲν* enunciationis secundariae respondet.

In universum de materia tractata cf. Laun, de anacol. ap. Homer. p. 17. Hartz, de anacol. ap. Sophocl. p. 25. Buttm. ad Demosth. orat. in Midiam exc. XII, p. 146 sqq. Hartung de part. I, p. 183 sqq. Herm. ad Vig. p. 785 n. 241. p. 845 sqq. n. 343. 345. Herm. ad Soph. Phil. v. 87; ad El. v. 27. Matthiae. gr. gr. §. 616. 3 p. 1486 sqq. Krueger. gr. gr. §. 69. 16. 4. Bernhardy syntax. p. 487 n. 14. Kuehner gr. gr. §. 737. Naegelsbach ad Il. exc. XI.

§. VI.

Magis jam structuram turbans eadem particula medio in enunciato et quidem post parentheses saepius illata est. Cf. IV, 132. 2 *καὶ — ἐτύγχανε γὰρ . . . — ὁ δὲ Περδίκκας . . . διεκώλυσε τὸ στράτευμα.* VIII, 29. 2. Quare quum his duobus locis codd. omnes *δὲ* addant, non debemus dubitare, etiam III, 107 *καὶ — μεῖζον γὰρ . . . — ὁ δὲ Δημοσθένες κ. τ. λ.* et VIII, 79. 3 *καὶ ἅμα — προῄσθοντο γὰρ . . . — προσεδέχοντο δὲ κ. τ. λ.* particulam *δὲ* recipere, quamquam codd. haud exigua pars eam omittunt. Cf. VII, 33. 2; VIII, 70. 1 fin.

Sicuti autem *δὲ*, ita etiam post parentheses *καὶ* anacoluthice additum invenimus I, 72. 1 *Τῶν δὲ Ἀθηναίων ἔτυχε γὰρ . . ., καὶ ὡς ᾔσθοντο κ. τ. λ.* et, quamquam codd. complures *καὶ* non exhibent, VIII, 79. 2 *οἱ δὲ Ἀθηναῖοι . . . — διέχει . . . — καὶ ὡς εἶδον κ. τ. λ.* Errat autem Goeller., ad I, 72. 1 contendens, simili modo I, 115. 4 *ἀλλὰ* turbare structuram; parenthesis enim post *ἤπειρον* demum est claudenda. Ceterum vix unus horum locorum est, quem non

interpp. variis mutationibus male tentaverint; equidem nihil mutandum esse censeo. Nulla enim idonea causa potest reperiri, qua factum sit, ut librarii facillimam simplicissimamque structuram δὲ vel καὶ ita inserendo turbaverint. Cf. Hartg. l. c. I, p. 173 sqq. Herm. ad Vig. p. 847 n. 345.

§. VII.

Aliud anacoluthiae genus simplex idemque frequentissimum apparet, ubi enunciationis tenore aliis verbis sive majoris sive minoris ambitus interpositis interrupto in posteriore sententiae parte unum vel plura prioris membri verba repetuntur aut pronomen aliquod vel particula infertur, qua re efficitur, ut initium orationis tanquam recipiatur atque in memoriam revocetur. Hoc notissimum illud genus est, quod grammatici epanalepsin vocant.

Simplicissimam hujus generis formam in omnibus iis locis reperio, ubi apodosi additae sunt particulae δή, οὖν, quibus oratio revera denuo incipit. Quarum prior, si huic usui servit, semper conjuncta legitur apud Thuc. cum alio vocabulo, ut οὕτω, τότε, ἐνταῦθα, quae insuper etiam ipsa eodem spectant; in protasi autem ἐπεί, ἐπειδή, ὡς similesque particulae antecedunt. Sic οὕτω δή orationis initium resumit post ἐπειδή I, 131. 1; II, 19. 1; 70. 1; 83. 3; III, 98. 1 al.; post ὡς II, 12. 3; IV, 74. 1; 75. 2; VIII, 71. 3; 92. 3; τότε δή autem legitur I, 49. 6; 58. 1; V, 16 1 et ἐνταῦθα δή I, 91. 3 et II, 58. 2 praecedente participio.

Eodem modo οὖν particula natura sua jam ad hoc consilium assequendum optime apta a Thuc. apodosi adjicitur III, 95. 1; VI, 64. 1; VII, 6. 1; 42. 5; VIII, 57. 2. Cf. Hartg. l. c. I, p. 258 sqq. II, p. 22. Ebhardt, de anacoluthorum usu in scriptis Graecorum p. 2. Engelhardt, anacolutha Platonica, spec. III, p. 44. Madvig. gr. Synt. p. 254.

Serviunt deinde resumendae orationi pronomina, praecipue αὐτός, οὗτος. Multum vexavit interpp. locus II, 62. 1

cf. Poppo ad h. l. Nomen πόνον, quia maximam vim et omne momentum disputationis habet, jure est primo loco positum, αὐτὸν autem ad resumendum sermonem per ἀρκείτω etc. interruptum postea additum. Cf. IV, 93. 2; VI, 82. 2 qui locus eo mirus est, quod mutato casu pronomen αὐτῶν post Λακεδαιμονίοις dativum repetitur; fieri poterat, quia verbum ὑπακούειν duplicem admittit structuram. De οὗτος pronominis repetitione cf. IV, 44. 3; V, 91. 1; VIII, 61. 2. Ita etiam VI, 2. 5 οὕτως per epanalepsin explico. Similiter ἐκεῖνος usurpatum est VII, 52. 2; ἕκαστος VII, 44. 1; et VIII, 48. 1 ἐς ἑαυτοὺς repetit antecedens ἑαυτοῖς. Sed Thuc. quid sibi permiserit hoc in genere, ne longius verser in constipanda exemplorum strue, cum res in vulgus sit notissima, exponere supersedeo transgrediorque ad eos locos recensendos, in quibus nomina vel nominum notiones quaedam, alia, repetuntur sive perspicuitatis causa sive ad vim vocabuli alicujus magis augendam. A simplicioribus progredior ad insolentiora: IV, 73. 4 subjectum sententiae primariae οἱ γὰρ Μεγαρῆς periodo per multos sententiarum gyros deducta cum correctione quadam vel accuratius definitum c. 74. 1 repetitur per οἱ τῶν φευγόντων φίλοι Μεγαρῆς. Similiter VIII, 99. 1—2 subjectum οἱ ἐν τῇ Μιλήτῳ Πελοποννήσιοι consulto iteratum est per (οὕτω δή) ὁ Μίνδαρος. Plurima enim interposita facile efficere potuissent, ut lecturi subjectum in mente non retinuissent. — Protasis post longiorem parenthesin paucis ejusdem notionis vocabulis repetita est I, 18. 1 cf. §. V. Ut h. l., saepius eadem notio iteratur, sicuti VI, 18. 6 τῷ εἰωθότι κόσμῳ per τῷ αὐτῷ τρόπῳ VII, 33. 2 πᾶσα ἡ Σικελία πλὴν Ἀκραγαντίνων per οἱ ἄλλοι VII, 42. 3—5 ἰδὼν καὶ νομίσας per ταῦτα οὖν ἀνασκοπῶν.

In omnibus his exemplis repetitio in enunciatorum structura nihil turbat neque magnam plerumque praebet difficultatem. Quare fortasse aliquis dubitet, talem structurae formam anacoluthon vocare; sed minus recte, quum oratio certe anacoluthos fiat, si quid additur, ubi jam nihil addi debet.

Cf. Ebhardt l. c. Engelhardt l. c. p. 45. Laun l. c. §. 9 p. 17.

Restant ejusdem generis loci aliquot difficiliores, de quibus uberius dicam necesse est.

Ejusmodi est III, 44. 2: *καὶ τοῦτο ὃ μάλιστα Κλέων ἰσχυρίζεται, ἐς τὸ λοιπὸν ξυμφέρον ἔσεσθαι πρὸς τὸ ἧσσον ἀφίστασθαι θάνατον ζημίαν προθεῖσι, καὶ αὐτὸς περὶ τοῦ ἐς τὸ μέλλον καλῶς ἔχοντος ἀντισχυριζόμενος τἀναντία γιγνώσκω.* Poppo et Krueg., ut inutilia priorum interpp. quae Poppo affert commenta omittam, dicunt, *τοῦτο* conjungendum esse cum *ἀντισχυριζόμενος*, aliud nihil addunt. Hac autem in interpretatione equidem acquiescere non possum; nam non solum nimis tenuem, sed etiam omnino falsam eam esse existimo. Si enim *τοῦτο* cum *ἀντισχ.* conjungitur, nihil aliud potest esse nisi objectum: „id contradicens" quod prorsus repugnat sensui, qui postulat „contra id dicens," qua in significatione haec verba interpp. sine dubio acceperunt. Sed *ἀντισχυρίζεσθαι*, ut sit „contradicere contra alqd," semper, nisi fallor, construitur cum praepositione *πρός*. Quare alia explicandi via est ineunda. Et, ut mihi videtur, Thuc. ab incepta structura deflectens finem orationis magis ad sensum construxit. Si enim pro *τἀναντία γιγνώσκω* ponimus, quod ad sensum idem est (*τοῦτο* . . .) *ἀντιλέγω μὴ ξυμφέρον ἔσεσθαι*, nihil offensionis in verbis inest. Cf. Goeller. ad h. l. Hanc autem grammaticae rationi convenientem structuram derelinquens sine dubio ad oppositionem magis augendam, infert *ἀντισχ. τἀναντία γιγνώσκω*, et intellegens, accusativum *τοῦτο* etc. jam non aptum esse, sensum ejus repetit per *περὶ — ἔχοντος*. Quod attinet ad accusativum *τοῦτο*, qui ita omni regimine caret, simile exemplum (I, 36. 4) tractabimus §. IX.

Tum IV, 36. 3 sequor Kruegeri interpunctionem, quae difficultatem loci optime tollit. Cf. Krueg. ad Dionys. p. 269 et hist.-phil. Stud. II, p. 170 sqq. Remanet simplex tantum repetitio: *βαλλόμενοι ἀμφοτέρωθεν ἤδη — ἀμφίβολοι ἤδη ὄντες*. Idem verbum iteratur VIII, 27. 2 *ὅπου γὰρ ἔξεστιν . . .*

εἰδότας . . . παρασκευασαμένοις ἔσται ἀγωνίσασθαι, οὐδέποτε κ. τ. λ. Pro *παρασκευασαμένοις ἔσται* exspectas solum *παρασκευασαμένους*, quod nonnulli interpp. revera reposuerunt. Ut verba sc habent, *ἔσται* recipit *τὸ ἔξεστιν*; mutatio autem temporis (Praes. in Fut.) et casus (Accus. in Dat.) mira non est, quum epanalepsis plerumque antea dicta iteret mutata. Huc refero etiam V, 22. 2 . . . *ξυμμαχίαν ἐποιοῦντο, νομίζοντες ἥκιστα ἂν σφίσι τούς τε Ἀργείους, ἐπειδὴ . . ., νομίσαντες αὐτοὺς ἄνευ Ἀθηναίων οὐ δεινοὺς εἶναι κ. τ. λ.* quem locum alii aliter explicant, nonnulli corruptum habent. Equidem Popponem sequens epanalepsin statuo, ita ut *νομίσαντες* recipiat *νομίζοντες*, *ἥκιστα* autem pro *οὐ* et *αὐτοὺς* pro *τοὺς Ἀργείους* illatum sit; et III, 68. 1 ubi *ὅτε* per *ὡς* recipitur, quo de loco optime disseruit Darpe, de colloc. verb. p. 61. Negari autem non potest, ultimis his tribus locis propter minimam interpositionem nullam gravem talis repetitionis causam adesse, quare ego quoque fidem lectionis traditae vocavi in dubium. Structura denique repetitione omnino turbata est II, 5. 3 *οἱ δὲ Πλαταιῆς . . . κήρυκα ἐξέπεμψαν, λέγοντες, ὅτι οὔτε τὰ πεποιημένα ὁσίως δράσειαν . . . τά τε ἔξω ἔλεγον αὐτοῖς μὴ ἀδικεῖν.* Perspicuitatis causa puto *ἔλεγον αὐτοῖς* insertum esse, repetens mutata forma praecedens *λέγοντες*. Si Thuc. supra non *ὅτι οὔτε*, sed *ὅτι οὐ* scripsisset, omnia, si grammaticam spectas, bene procederent; *ἔλεγον* cum *ἐξέπεμψαν* conjungi posset. Attamen non debet corrigi *οὐ*. Nam satis verbosa oratio ita oriens certe multo minus placeret, quam haec disconvenientia, quae insuper Thucydidi etiam magis respondet.

§. VIII.

Quemadmodum autem, ut locis hucusque tractatis vidimus, ex abundantia quadam aliquid additur, quod legitimum orationis decursum plus minusve turbet, ita quoque Thucydidi saepius accidit, ut enunciationem imperfectam relinqueret.

Primum imperfectae orationis genus est Aposiopesis, quam in oratione animi commotionibus affecta valde amant Graeci scriptores. Omitto hanc dicendi formam, quum in universum nota neque structuram turbans (cf. IV, 63. 3. VIII, 56. 5) difficultatis nihil praebeat.

Cf. Kuehner, gr. gr. §. 854. §. 823. 3. b.

Simili ratione saepius tota apodosis reticetur; ita imprimis, si duae enunciationes conditionales per *εἰ (ἐάν) μέν — εἰ δὲ μή* sibi opponuntur, apud priorem apodosis supprimitur (cf. III, 3. 3. IV, 13. 3), quum rem levioris momenti contineret et e sententiarum nexu facile possit suppleri, oratio autem ad proximum cogitatum gravius atque principale quam celerrime malit procedere.

Cf. Kuehner, gr. gr. §. 823. 3 c. Thiersch, gr. gr. §. 335. 4. Krueger, gr. gr. §. 54. 12. 12.

Omnino autem alia est ratio eorum locorum, ubi neglegentia quadam aut quia scriptor ob interjectorum enunciatorum longitudinem a coepta structura deflectit, apodosis omissa est; talia enunciata optimo jure in harum anacoluthiarum classem sunt referenda. Huc pertinet II, 21. 1 (locus longior est, quam qui exscribi possit), ubi plerique quidem interpp. ab *καί τινα ἐλπίδα κ. τ. λ.* apodosin incipiunt, sensui omnino nocentes. Scriptor enim, ut mihi videtur, hoc vult dicere: „Athenienses, quamdiu Peloponnesiorum exercitus circum Eleusinem et Thriasium campum erat et aliquam spem habebant, eos propius non esse progressuros, memoria tenentes etc. etc., rem ferendam esse censebant; postquam vero exercitum circum Acharnas viderunt sexaginta stadia ab urbe distantes, rem non amplius ferendam existimabant; sed etc.“ Sic omnia optime procedunt; et in priore membro ex *οὐκέτι ἀνασχετὸν ἐποιοῦντο* oppositum „rem ferendam esse censebant“ cogitando subjici posse nemo impugnabit. In aliorum autem explicatione „Athenienses, quamdiu Peloponnesiorum exercitus circum Eleusinem erat, etiam spem aliquam habebant, eos non propius esse accessuros“

primum non intellego, quid sibi velit illud *καί*. Tum, id quod summi momenti est, jam in antecedente capite Thuc. refert, Archidamum, postquam Athenienses ad Eleusinem et Thriasium campum ipsi non occurrerint, ad Acharnas castra posuisse ibique agros devastavisse. Progressus igitur jam erat Archidamus usque ad Acharnas; Athenienses ergo non jam poterant sperare, hostem non esse progressurum et non jam Thuc. hoc capite poterat aut volebat hoc dicere; sed respicit tantum priorem Atheniensium condicionem, in qua spem aliquam servantes omnia Lacedaemoniorum hostilia toleranter pertulerant opponitque praesenti, quae iis ferenda non videtur. Sensus igitur, tum etiam parilitas membrorum sibi respondentium mea quidem sententia aperte docent, nostram explicandi rationem haud esse rejiculam.

Etiam majorem disputandi ansam praebet I, 25. 3—4: *Κορίνθιοι ... ὑπεδέξαντο τὴν τιμωρίαν, νομίζοντες ..., ἅμα δὲ καὶ μίσει τῶν Κερκυραίων, ὅτι αὐτῶν παρημέλουν ὄντες ἄποικοι· οὔτε γὰρ ... διδόντες ..., οὔτε ... προκαταρχόμενοι ... περιφρονοῦντες δέ κ. τ. λ.*, quo in loco, cujus in altera parte (*οὔτε γὰρ* etc.) nullum verbum est finitum, explicando misere se torserunt interpp. Sunt enim alii qui contendant, particulam *γὰρ* ex abundantia esse positam, alii, eam esse suspectam, quae sententia codicum auctoritate refutatur, alii, participia *διδόντες — προκαταρχόμενοι — περιφρονοῦντες* pro verbis finitis esse adhibita, alii, supplendum esse ad ea *ἦσαν;* alii et quidem plerique et recentiores repetunt ex enunciato antecedente verbum *παρημέλουν*, afferentes ad sententiam suam confirmandam complura similis particulae *γὰρ* apud Thuc. usus exempla; Krueger. denique (cf. Krueg. ad h. l. et hist.-phil. Stud. II, p. 130 sqq. 215 sqq.) statuit anacoluthon. Priores quatuor sententias, levioris momenti, quarum inanitatem ab omni parte interpp., imprimis Poppo, jam illustrarunt, omitto. Ad eorum autem sententiam, qui ex antecedd. *παρημέλουν* subaudiendum esse censeant, quod attinet, haec quoque mihi non probatur. Particula enim *γὰρ*

constructionem ab antecedd. omnino avellit atque indicat, scriptorem novum voluisse incipere enunciatum. Similis autem particulae *γὰρ* usus exempla, quae ex Thuc. afferunt interpp., quorumque numerum ceteris, quaecunque apud eum inveniuntur, supplevi, omnia alius sunt generis cf. II, 17. 2; III, 65. 1; IV, 68. 5; VIII, 68. 5; nam in omnibus his locis *γὰρ* non ad participium, sed ad infinitivum accedit; in omnibus cogitando subjiciendum est verbum sentiendi vel declarandi, apud quod liberiorem hunc ellipticum usum magis excusandum esse in liquido atque confesso est. Paulo diversi sunt loci, ut VI, 24. 2; 68. 4; VIII, 87. 3 (cf. Krueg. gr. gr. §. 69. 14. 5), in quibus dativus (*τοῖς μὲν γὰρ* etc.) vel nominativi (*οἱ μὲν γὰρ* etc.), qui enunciationem incipiunt, cohaerentiam cum antecedd. aperte indicant, itaque ellipsin satis excusant. His igitur locis noster non est similis praetereaque ab iis eo differt, quod, si *παρημέλουν* suppleremus, hoc repetendum esset ex enunciatione secundaria, quod nimis insolens esset. Denique (cf. Campe, obss. crit. p. 24) si subintellegendum est verbum *παρημέλουν*, est haud dubie ad omnia participia pariter subaudiendum. Jam vides *παρημέλουν διδόντες καὶ προκαταρχόμενοι* esse „sese illos neglegere eo demonstrabant, quod (neque consuetos honores) tribuebant, (neque in usum Corinthii primas victimas) immolabant"; contra *παρημέλουν περιφρονοῦντες* esse „neglegebant ea de causa, quod despiciebant illos." Ergo alterum quidem quasi participium modi, alterum vero causae esse apparet; quae ratio vereor ne satis ei probetur, qui accuratius hunc locum consideraverit.

Quare orationem ob longiorem ambitum sententiarumque ambages anacoluthon factam esse puto. Thuc. exordiens scribere hanc periodum initio cap. 26 fortasse pergere volebat: *ἐμισοῦντο* vel *κατηγοροῦντο* vel *ἐπετιμῶντο ὑπὸ τῶν Κορινθίων* aut simili aliquo modo; pergit autem verbo activo *πάντων οὖν τούτων ἐγκλήματα ἔχοντες οἱ Κορίνθιοι ἔπεμπον κ. τ. λ.*, ita ut si nominativi *διδόντες*, ceteri, in gen. abs.

commutarentur, iterum oratio nihil haberet offensionis. Et haec duo enunciata (25. 4 et 26. 1) arctissime cohaerere nemo non videt summique momenti est. Male igitur is, qui capita disposuit, h. l. (cf. IV, 73. 5 et 74. 1, ubi primus Heilmannus simili modo diruptas duas periodos bene in unam redegit) ab *πάντων οὖν* etc. novum incepit caput.

Similis nostro locus est VII, 28. 3, ubi tres infinitivi *τὸ ἀποστῆναι — ἀντιπολιορκεῖν — ποιῆσαι*, tria quasi subjecta, omnino in aëre pendent, nullo praedicato addito; supple: „erant res, quae secundum humanam opinionem fieri non poterant."

Etiam VI, 31. 3 subjectum *οὗτος ὁ στόλος* praedicato suo caret et quamquam ex antecedenti *ὡρμήθησαν* ad *ὁ στόλος* facile *ὡρμήθη* suppleri potest, tamen etiam h. l. orationem multis sententiis interpositis abruptam anacoluthonque factam esse putaverim; postea autem (§. 6 *καὶ ὁ στόλος*) scriptorem ad coeptam narrationem reverti.

Denique mihi dicendum est de VIII, 80. 2, ubi nominativus *αἱ μὲν Δῆλον λαβόμεναι . . . καὶ ἐλθοῦσαι ἐς Μίλητον* non habet, quocum conjungatur. Nam *ἀφιστᾶσι* hujus quoque nominativi praedicatum non potest esse, quia non omnes quadraginta (cf. §. 1) Lacedaemoniorum naves, sed illae decem tantum, quae cum Elixo in Hellespontum pervenerant, Byzantium ad defectionem poterant adigere. Triginta enim naves, quibus Clearchus praeerat, in Hellespontum non venerunt, quamquam nonnulli interpp. loci sensum non recte perspicientes hoc putarunt. Horum sententiam falsam esse ex eo conjicere potes, quod Clearchus terrestri itinere Mileto ad Hellespontum profectus est.

Ceterum totus hic locus aut corruptus, aut quod equidem putare malim, omnino ab auctore non limatus est, id quod in universum de hoc extremo libro satis constat. Nam primum particula *μὲν* (init) non habet respondens *δέ;* respondere videtur *καὶ μετὰ ταῦτα* (§. 3); tum *καὶ* (post *χειμασθεῖσαι*) sine dubio est transpositum. Ut omittam sententias

interpretum, qui alii aliter locum hunc explicare difficultatemque tollere conati sunt, equidem Thucydidem post parenthesin exordii orationis fortasse oblitum constructionem imperfectam reliquisse puto, quam ad sententiam eo magis inclino, quod, si prius *μὲν* respicis, structura in universum variata est.

§. IX.

Aliud item valde frequens anacoluthiae gnus oritur, quum in orationis decursu constructio mutatur. Saepe enim naturali orationis formae alia ab initio structura aptior videtur, quam sententiae conclusio permittit; unde fit, ut initium hac de causa derelinquatur. Hujus generis exemplum legimus I, 9. 2 . . . *Εὐρυσθέως μὲν κ. τ. λ.*: Thuc. constructionem a participiis inceptam postquam propter membrorum multitudinem usque ad finem perduci non posse intellexit, relinquit, quum inconcinnus esse malit, quam participiorum nimis magno numero offendere itaque perspicuitatem laedere; atque superiorem a *λέγομεν* pendentem structuram respiciens a *τυγχάνειν δὲ κ. τ. λ.* iterum in infinitivum transit, quem usque ad finem periodi retinet, ita ut infinitivi *τυγχάνειν* — *παραλαβεῖν* — *καταστῆναι* pendeant a *λέγομεν* init. enunc. Perspicuitatis causa etiam nomina propria compluries repetita sunt.

I, 36. 4: *τρία μὲν ὄντα λόγου ἄξια τοῖς Ἕλλησι ναυτικά, τὸ παρ' ὑμῖν καὶ τὸ ἡμέτερον καὶ τὸ Κορινθίων, τούτων δ'εἰ περιόψεσθε τὰ δύο ἐς ταὐτὸν ἐλθεῖν . . ., ναυμαχήσετε.*

Nihil h. l. proficitur explicando ut vulgo fit, „quod attinet“ ad classes illas, versio enim haec est, non est explicatio. Scriptor, ut mea fert sententia, priorem enunciationis partem omnino neglegens a *τούτων δὲ*, quia genitivum requirebat, denuo orationem incepit; insuper autem ad ea, quae sibi sunt opposita, melius illustranda (cf. Buttm. ad Demosth. Mid. p. 149) particulae *μὲν* — *δὲ* insertae sunt huic structurae,

quasi prior pars *τρία μὲν ὄντα* sententia per se constans esset: *τρία μὲν ἐστιν*. Aliam hujus loci explicationis viam iniit Poppo I, 1. p. 255, *τρία μὲν ὄντα* pendere dicens a praecedente *μάθοιτε*, quo ex verbo cognoscendi s. reputandi notionem repetendam esse censet. Haec interpretatio nimis quaesita mihi videtur. Prior autem mea explicatio si cui minus arriserit, is eo confugiat est necesse, ut *τρία μὲν ὄντα* Nominativum absolutum esse intellegat, qualia prorsus similia inveniuntur in Xenoph. Cyrop. V, 4. 51 *τρία ὄντα τῶν Σύρων φρούρια, ἓν μὲν αὐτῶν ἔλαβε* et IV, 5. 37 *καινὰ γὰρ ἡμῖν ὄντα τὰ παρόντα, πολλὰ αὐτῶν ἐστιν ἀσύντακτα.*

Aliter jam coloratus est locus VI, 35: *τῶν δὲ Συρακοσίων ὁ δῆμος ἐν πολλῇ πρὸς ἀλλήλους ἔριδι ἦσαν, οἱ μὲν . . . τοῖς δέ . . .* Ab *ἐν ἔριδι ἦσαν* pendere debuissent orationis partes, *οἱ μὲν* — *οἱ δέ*. Relicta autem incepta structura posuit Thuc. dativum, ad quem ex *ἐν ἔριδι ἦσαν* facile supples *ἔρις ἦν*. Ceterum cf. Poppo ad h. l. et I, 1. p. 268.

Valde denique amat Thuc. in expositionibus coeptam structuram relinquere atque in nominativum quidem transire, sine dubio quia haec structura commodior et minus dura ei videbatur. Simplex autem hujus casus perspicuitas liberiorem hunc usum satis excusat cf. Bernhardy, synt. p. 68 sqq. Sic I, 23. 3: *τά τε πρότερον ἀκοῇ μὲν λεγόμενα ἔργῳ δὲ σπανιώτερον βεβαιούμενα οὐκ ἄπιστα κατέστη, σεισμῶν τε πέρι, οἳ . . ., ἡλίου τε ἐκλείψεις, αἳ . . ., αὐχμοί τε μεγάλοι . . . καὶ λιμοὶ . . . καὶ ἡ λοιμώδης νόσος* — ubi inde ab *ἡλίου τε ἐκλείψεις* structura ab antecedd. plane avellitur. Repetendum autem est ad nominativos verbum *κατέστησαν*. Quam dura periodus esset facta, si Thuc. ubique *περὶ* c. gen. adhibuisset. Minus apte Poppo et Krueger. mihi comparare videntur I, 52. 2 *ὁρῶντες . . . πολλὰ τὰ ἄπορα ξυμβεβηκότα, αἰχμαλώτων τε περὶ φυλακῆς . . . καὶ ἐπισκευὴν οὐκ οὖσαν κ. τ. λ.*, ubi mutatur quidem oratio, accusativus autem *ἐπισκευὴν οὐκ οὖσαν* — aeque atque IV, 26. 3: *οὓς ᾤοντο ὀλίγων ἡμερῶν ἐκπολιορκήσειν ἐν νήσῳ τε ἐρήμῃ καὶ ὕδατι ἁλμυρῷ χρωμένους,*

accusativus *χρωμένους* — certe habet, quocum optime conjungi possit, nempe *ὁρῶντες* et *ᾤοντο*. Tales levioris momenti sermonis variationes in Thucydidis opere innumerae sunt neque anacoluthis annumerandae.

Similis autem originis sunt II, 9. 3 . . . *ἄλλαι πόλεις αἱ ὑποτελεῖς οὖσαι ἐν ἔθνεσι τοσοῖςδε, Καρία ἡ ἐπὶ θαλάσσῃ, Δωριῆς Καρσὶ πρόςοικοι, Ἰωνία, Ἑλλήσποντος κ. τ. λ.* et II, 30. 2 *κεῖται δὲ ἡ Κεφαλληνία κατὰ Ἀκαρνανίαν καὶ Λευκάδα τετράπολις οὖσα, Παλῆς, Κράνιοι, Σαμαῖοι, Προνναῖοι.* Comparare mihi liceat etiam VIII, 19. 2: *καὶ ὡς εἶδον, ἔφευγον μιᾷ μὲν νηὶ ἐς Ἔφεσον, αἱ δὲ λοιπαὶ ἐπὶ τῆς Τέω.* IV, 87. 2 *τὸ εὔλογον*, (hoc enim sequentem genitivum regere puto) *τῶν μὲν Λακεδαιμονίων, ὅπως μὴ . . . βλάπτωνται, οἱ δὲ Ἕλληνες ἵνα μὴ κολύωνται κ. τ. λ.* — et VI, 29. 3: *οἱ δὲ ἐχθροί, δεδιότες τό τε στράτευμα μὴ εὔνουν ἔχῃ . . . ὅ τε δῆμος μὴ μαλακίζηται, θεραπεύων κ. τ. λ.* Postremo loco nominativus *ὅ τε δῆμος* pro accusativo jam eam ob causam ponendus erat, quia accusativus *τόν τε δῆμον* facile ad sequens *θεραπεύων* referri potuisset.

§. X.

Convertam jam orationem ad aliam structurae mutationem Thucydidi familiarissimam, quae in eo conspicitur, quod in totarum enunciationum colligatione conjunctiones inter se cohaerentes dirimuntur sibique oppositae conjunguntur. Minutissimae quidem sunt tales anacoluthiae, propterea autem non semper satis diligenter observatae.

Sic *μὲν — τὲ* pro *μὲν — δὲ* invenitur II, 70. 2: *οἱ δὲ προςεδέξαντο, ὁρῶντες μὲν τῆς στρατιᾶς τὴν ταλαιπωρίαν ἐν χωρίῳ χειμερινῷ, ἀναλωκυίας τε ἤδη τῆς πόλεως διςχίλια τάλαντα ἐς πολιορκίαν.* III, 46. 2 *ἄμεινον μὲν — πολιορκίᾳ τε* cf. IV, 32· 2 *τοξόται τε*, ubi Krueger. et IV, 69. 3 *τοῖς τε*, ubi Poppo perperam *τὲ* in *δὲ* mutarunt. Ita etiam I, 144. 3 multis codd. adstipulantibus non dubito cum Poppone

τὲ (*τάς τε*) recipere. Omnino suo loco respondent inter se *μὲν* et *τὲ* II, 65. 8 *τρία μὲν — Κύρῳ τε*, ubi *δὲ* ferri non posset. Conferre liceat *καὶ* I, 21. 2 (*καὶ ὁ πόλεμος οὗτος*) respondens particulae *μὲν* in *τὰ μὲν οὖν παλαιά* c. 20. 1. cf. V, 10. 6—7 *ὁ μὲν* (*Βρασίδας*) — *καὶ ὁ Κλεαρίδας*. V, 71. 1—2 *ποιεῖ μὲν — καὶ τότε;* sed haec minus huc pertinent.

Sicuti autem his locis ab oppositione in partitionem, ita vice versa a partitione in oppositionem fit commutatio I, 25. 3: *Κορίνθιοι δὲ κατά τε τὸ δίκαιον ὑπεδέξαντο τὴν τιμωρίαν . . ., ἅμα δὲ καὶ μίσει κ. τ. λ.* VI, 83. 1 *ἄξιοί τε ὄντες — ἅμα δὲ ὀρεγόμενοι.* Alios locos editores non animadvertentes anacoluthon male mutationibus tentaverunt. Sic I, 11. 1 in omnibus codd. legitur: *ἐπειδὴ δὲ ἀφικόμενοι μάχῃ ἐκράτησαν*, ubi pro *δὲ* propter antecedens *τόν τε στρατὸν* etc. *καὶ ἐπειδὴ* vel *ἐπειδή τε* exspectas. Conjecit Bekkerus *ἐπειδή τε*, quam conjecturam omnes fere interpp. probant, inter eosque etiam Krueger., qui dicit: „*Δὲ* entspricht zwar nicht selten einem vorhergehenden *τέ*, aber doch nicht leicht anders als wo der dem *δέ* vorangehende Begriff mit Nachdruck als gegensätzlich hervorzuheben ist, wie hier etwa *ἀφικόμενοι δὲ ἐπειδὴ* gesagt werden konnte.“ Sed hac ipsa Kruegeri sententia nixus equidem *δὲ* retineo; nam re vera oppositio adest. Non vero, ut Kruegero videtur, *ἀφικόμενοι*, sed *ἐπειδὴ ἐκράτησαν* vi quadam urgendum est: „quum autem vicissent, *φαίνονται δ'οὐδ'ἐνταῦθα*, videntur ne hac quidem condicione toto exercitu usi esse.“ Praeterea sequens *δὲ* apodoseos, quod Thuc. tum tantum, si jam in protasi *δὲ* praecessit, aut post articulum et pronomen demonstrativum adhibuit (cf. §. V), antecedens *δὲ* verisimillimum reddit. Classen. (tom. I, p. 253. Anh.) solus est, nisi fallor, qui *δὲ* defenderit; sed abitum et adventum inter se oppositos esse putat. Quod fieri nequit, quum ordo verborum alius esse deberet, hic fere: *ἀφικόμενοι δὲ ἐπειδή κ. τ. λ.* — Si autem alii contendunt, apud Thucydidem particulae *τὲ* nunquam simplex *δέ*, sed *ἅμα δὲ* vel *ἅμα δὲ καὶ* tantum (cf. supra I, 25. 3, VI, 83. 1)

respondere, hoc bene dicere possunt, postquam ubique simile *δέ*, ubi in codd. legitur, delerunt aut mutarunt, plerumque sine ullo jure. Sic impugnat tale *δὲ* Poppo III, 52. 2, *χρήσασθαι* et *κολάζειν* per *τὲ* conjungi censens; respondent potius *τούς τε ἀδίκους κολάζειν* et *παρὰ δίκην δὲ οὐδένα κ. τ. λ.* cf. Krueg. ad h. l. Neque minus perperam V, 9. 7 *Ἀθηναίων τε δούλοις — τοῖς δὲ λοιποῖς Ἕλλησι* nonnulli *τὲ* deleri volunt. Fortasse etiam VIII, 16. 3 post *αὐτοὶ* cum c. Vaticano *τὲ* recipiendum est. Ex Bekkeri denique conjectura VI, 22. 2 legendum censeo: *ὁπλίταις τε — ναυσὶ δέ*. Quae quum ita se habeant, argumentum supra commemoratum prorsus corruit.

Cf. etiam VI, 44. 3—4; VII, 78. 2—3; VII, 81. 3—4 et Krueg. ad h. h. l. l.

De universa hac materia cf. Benloew, de Sophoclis dictionis proprietate. Paris 1847. p. 23 sqq. Hartz l. c. p. 24 sqq. Ebhardt l. c. p. 11. Herm. ad Vig. p. 841 n. 536 b. et ad Soph. Phil. v. 1312. Naegelsbach ad Hom. Il. exc. I, p. 173. Hartung l. c. I, 95. II, 410; I, 171. 92. 73.

Gravior jam est inconcinnitas membrorum, quum particulae *μὲν* vel *τὲ* positae sunt neque *δὲ* vel *καὶ* neque alia particula respondente; qui usus iterum inde explicandus est, quod scriptor a coepta structura deflectit orationemque commutat. Cf. IV, 74. 1 *τῷ μὲν Βρασίδᾳ κ. τ. λ.*, ubi *μὲν* positum est quasi sequeretur *τοὺς δὲ ἐκ Πηγῶν κατάγουσιν*, quod alia constructione §. 3 sequitur. Contra VI, 25. 2 conjecturam Kruegeri *ἄκων μὲν εἶπε δὲ κ. τ. λ.* explicationi Scholiastae, aliorum, qui sequens *μέντοι* illi *μὲν* opponunt, malim praeferre, praesertim quum haec formula „*ἄκων μὲν* — verb. finit. — *δὲ*“ Graecis usitata est. Cf. Krueg. ad h. l. cf. I, 10. 1; II, 74. 1; III, 111. 1; V, 1. 1; 60. 1. Prorsus suppressum est membrum oppositum I, 86. 1 *Τοὺς μὲν λόγους τοὺς πολλοὺς τῶν Ἀθηναίων οὐ γιγνώσκω· ἐπαινέσαντες γὰρ κ. τ. λ.* Sequi debebat“ hostilia autem facta contra nos eos commisisse, apertum est; *ἐπαινέσαντες γὰρ κ. τ. λ.*

Quod attinet ad *τὲ* nullo respondente *καὶ*, cf. VI, 6. 2: *μάλιστα δ' αὐτοὺς ἐξώρμησαν Ἐγεσταίων τε πρέσβεις παρόντες καὶ προθυμότερον ἐπικαλούμενοι.* Haec sunt qui explicent *τὲ* trajectum esse atque referendum ad sequens *καὶ*, ita ut proprius ordo sit: *παρόντες τε καὶ προθυμότερον ἐπικαλούμενοι;* trajectionis autem nulla apparet causa (cf. Darpe ad h. l., l. c. p. 83), repugnat potius sensui valdeque nocet. Alii *τὲ* deleri volunt, quod vetat codd. auctoritas. Quare equidem cum Sommero (cf. Jahn, annal. phil. nov. I, 3. 4 p. 411) statuo anacoluthon. Particula *τὲ* aperte docet, non Egestanorum solum legatos, sed etiam alios ad expeditionem Siciliensem Athenienses impulisse. Re vera autem Athenienses ab aliis quoque invitatos esse, ex eo elucet, quod Thuc. §. 4 dicit: *ὧν ἀκούοντες οἱ Ἀθηναῖοι ἐν ταῖς ἐκκλησίαις τῶν τε Ἐγεσταίων πολλάκις λεγόντων καὶ τῶν ξυναγορευόντων αὐτοῖς ἐψηφίσαντο κ. τ. λ.* Scriptoris igitur menti, dum *τὲ* scribit, jam obversabantur ii, qui Athenis Egestanorum partibus favebant. Abrumpit autem orationem atque primum de causis, quare Egestanorum legati Athenis versentur, loquitur, tum demum §. 4 ad priorem cogitationem redit additque, quae supra, ne turbaretur ordo, omiserat.

De hoc *μὲν* et *τὲ* particularum usu cf. praeter grammaticos virorum supra in hac paragrapho jam laudatorum imprimis Herm. ad Vig. p. 841 n. 537. Hart. l. c. II, p. 411.

§. XI.

Sequitur alia structurae commutatio, quae eo oritur, quod in altera enunciationis parte nova notio infertur, a qua cetera, quae proprie prioris partis structuram sequi debuissent, pendeant.

IV, 120. 2 *Ὁ Βρασίδας διέπλευσε . . . τριήρει μὲν φιλίᾳ προπλεούσῃ . . . ὅπως, εἰ μέν τινι . . . περιτυγχάνοι, ἡ τριήρης ἀμύνοι αὐτῷ, ἀντιπάλου δὲ ἄλλης τριήρους ἐπιγενομένης* (pro *εἰ δὲ . . . ἐπιγένοιτο* propter antecedens *εἰ μὲν . . . περιτυγχάνοι*)

οὐ πρὸς τὸ ἔλασσον νομίζων τρέψεσθαι, ἀλλ' ἐπὶ τὴν ναῦν, καὶ ἐν τούτῳ αὐτὸν διασώσειν. Scriptor *ὅπως, εἰ μὲν* ita posuit, quasi totam reliquam structuram ab eo regi voluisset. Addit *νομίζων*, cui verba accommodans infinitivos posuit *τρέψεσθαι* et *διασώσειν*. Similiter VIII, 45. 4. 5 . . . *ἀντιλέγων, ὡς οἱ μὲν Χῖοι ἀναίσχυντοι εἶεν . . . τὰς δὲ ἄλλας πόλεις ἔφη ἀδικεῖν*, ubi oratio sine *ἔφη* procedere debebat *αἱ δ'ἄλλαι πόλεις ἀδικοῖεν.*

Imprimis autem ex collocatione particularum tales anacoluthiae pariuntur cf. I, 129. 1 *Ξέρξης . . . κελεύει αὐτὸν* (*τὸν* . . .) *τήν τε Δασκυλῖτιν σατραπείαν παραλαβεῖν . . . καὶ παρὰ Παυσανίαν ἐς Βυζάντιον ἐπιστολὴν ἀντεπετίθει αὐτῷ διαπέμψαι.* Ambo enunciati membra, ut collocatio particulae *τὲ* aperte demonstrat, proprie pendere debent a verbo *κελεύει* alterumque verbum finit. *ἀντεπετίθει* omnino supervacaneum nominare possis; quo addito structura mutata est vocanda. Plerumque quidem simpliciter dicitur „particula *τὲ* est trajecta“; sed tali in explicatione acquiescere non licet. Ut ordo verborum se habet, revera anacoluthia inest, eo nata, quod pro verbo duorum enunciati membrorum communi in altera parte nova illata est notio. Dum *τὲ* scribit, Thuc. non in animo habebat alterum verbum finit. addere. Recte igitur Krueger. ad h. l. (hanc enim ob causam eum e multis elegi) sicuti Poppo quoque ad II, 15. 5 talem structuram anacolutham nominarunt. Cf. Madvig. synt. gr. §. 216 annot. 1. Ebhardt l. c. p. 11.

Idem usus cadit etiam in particulas *καὶ* cf. III, 67. 4 *ἀμύνατε οὖν . . . καὶ τῷ τῶν Ἑλλήνων νόμῳ ὑπὸ τῶνδε παραβαθέντι καὶ ἡμῖν . . . ἀνταπόδοτε χάριν κ. τ. λ.* et *μὲν* cf. I, 38. 3 *καλὸν δ'ἦν . . . τοῖσδε μὲν εἶξαι . . ., ἡμῖν δ'αἰσχρὸν βιάσασθαι κ. τ. λ.*; et *ἢ* cf. VIII, 46. 1 *μηδὲ βουληθῆναι κομίσαντα ἢ ναῦς . . . ἢ Ἕλλησι . . . μισθὸν πορίζοντα κ. τ. λ.*; et *οὔτε* cf. I, 78. 3 *ἡμεῖς δὲ ἐν οὐδεμιᾷ πω τοιαύτῃ ἁμαρτίᾳ ὄντες οὔτ' αὐτοὶ οὔθ' ὑμᾶς ὁρῶντες λέγομεν ὑμῖν κ. τ. λ.*; et *οὐ* cf. I, 71. 1 *οἴεσθε οὐ τούτοις . . . ἀλλὰ . . . νέμετε κ. τ. λ.*,

quibus omnibus locis ita instituta est oratio, quasi prius verbum utrique membro esset commune.

Hujus usus in universum sexcenta e Thucydide afferri possunt exempla, quae diligenter collegit optimeque tractavit Darpe, de verb. ap. Thuc. collocat. p. 65—94; ad eum igitur retulisse h. l. sufficiat.

§. XII.

Adjungo his structurae mutationibus id anaculuthiae genus, quod in usu casus, qui vocatur, absoluti positum est. Hujus enim ea tantum vera mihi explicatio esse videtur, ut structuram a nominativo incipientem in seqq. mutatam nominativumque propterea derelictum dicamus. Transit autem scriptor ad aliam structuram, quia orationem a nominativis inceptam, quae ab initio aptissima videbatur, postea ad commodum finem perducere non poterat. Saepenumero quoque claudit nom. abs. orationem; sed hoc nihil differt, utrum antecedat verbo finito, an sequatur: constructionis enim mutatio certe adest, aeque plana atque aperta, plerumque inde explicanda, quod structura magis ad sensum est elaborata.

Loci ubi a Thucydide absolutum participii nominativum anacoluthice usurpatum videmus, in duas partes dividi possunt; quarum una ea continet enunciata, in quibus inter subjectum nominativi abs. et subjectum primarii verbi aliqua intercedat ratio. Alter enim nominativus appositio est alterius vel vive versa alterumque subjectum partem indicat alterius vel vice versa. Horum autem nominativorum, quum ad unum tantum, si grammaticam respicis, verbum finitum pertinere possit, alter non habet, quo apte referatur itaque anacoluthiam efficit. Cf. Richter, de praecipuis Graecae linguae anacoluthis, [1]) spec. I, §. 2 p. 8. — Madvig, synt. gr.;

---

[1]) Cf. annales gymnasii Hagiopolitani a. 1827.

index s. v. Anacoluth. et §. 176. e. — Kuehner gr. gr. §. 678. 2. — Laun, l. c. §. 3. p. 12.

Quum autem, quod ex iis, quae supra dixi, concludi jam potest, nominativus partem continens appositio illius „totum" complectentis vel vice versa nominativus totum complectens appositio illius partem continentis esse possit, et prout aut nominativus partem continens aut nominativus totum complectens cum participio ut ita dicam praedicativo conjunctus est, quatuor hujus usus genera discernamus necesse est.

Consideremus jam singulorum generum quae apud Thucydidem inveniuntur exempla, ut quale sit quod sentio plenius intellegatur.

1. Nominativus, qui partem indicat, cum participio conjunctus appositio est nominativi totum continentis. Primum hujusmodi exemplum occurrit I, 49. 3 *αἱ Ἀττικαὶ νῆες φόβον μὲν παρεῖχον τοῖς ἐναντίοις, μάχης δὲ οὐκ ἦρχον, δεδιότες οἱ στρατηγοὶ τὴν πρόῤῥησιν τῶν Ἀθηναίων.* Goeller. quidem contendit ad I, 10. 7: jungendum esse *ἦρχον* non cum *νῆες*, sed cum *στρατηγοί*. Sed hoc probari non possum; nam quamquam Kruegeri argumentum, quod contra hanc sententiam proposuit, collocationem vocabuli *δεδιότες* talem constructionem impedire, non ab omni parte verum est atque firmum, quum, ut Darpe l. c. p. 25 docet, ejusmodi trajectiones Thucydidi non inusitatae sint, tamen concinnitas enunciati, collocatio particularum *μὲν* — *δέ*, denique multi alii Thucydidis loci omnino similiter conformati Kruegeri sententiam confirmant atque commendant. A grammatica quidem exspectas genitivum abs. *δεδιότων τῶν στρατηγῶν;* causa autem, qua ductus Thuc. nominativum usurpaverit, facile apparet. Verum enim enunciati subjectum est *στρατηγοί, οἱ στρατηγοὶ ἦρχον τῆς μάχης*, non *αἱ νῆες*. Optime igitur nominativus quum efficiat, ut duces impetus autores exsistant, a Thucydide est positus. — Simillime IV, 73. 4: *οἱ Ἀθηναῖοι... ἡσύχαζον..., λογιζόμενοι οἱ στρατηγοί κ. τ. λ.* cf. II, 54. 1: *φάσκοντες οἱ πρεσβύτεροι* IV, 6. 1 *νομίζοντες*

οἱ Λακεδαιμόνιοι IV, 106. 1 *βραχὺ Ἀθηναίων ἐμπολιτεῦον* VI, 32. 1 *οἱ ἄρχοντες σπένδοντες* VII, 77. 1 *φιλονείκων ὁ αὐτόθεν* sc. *ὁ Συρακούσιος στρατός*. Addendus denique est locus IV, 58: *εἶτα καὶ οἱ ἄλλοι Σικελιῶται,* (sic enim interpungendum censeo) *ξυνελθόντες Γέλαν ἀπὸ πασῶν τῶν πόλεων πρέσβεις, ἐς λόγους κατέστησαν*, qui forma sua ab aliis eo differt, quod nominativus cum participio subjectum inter et praedicatum enunciationis primariae insertus est.

2. Nominativus partem indicans appositio est nominativi, qui totum continet, cum participio coniuncti. Eiusmodi exemplum habes I, 100. 3: *Πέμψαντες* (sc. *οἱ Ἀθηναῖοι*) *μυρίους οἰκήτορας αὐτῶν καὶ τῶν ξυμμάχων.... τῶν μὲν Ἐννέα ὁδῶν αὐτοὶ ἐκράτησαν, προελθόντες δὲ... διεφθάρησαν κ. τ. λ.* Thuc. voluisse videtur „*οἱ Ἀθηναῖοι πέμψαντες*" subjectum esse totius enunciati, subjectum verborum finitorum. Quum autem ad finem enunciati progressus scribere vellet *ἐκράτησαν* et *διεφθάρησαν*, sentiebat, non Athenienses, i. e. Atheniensium rempublicam *τῶν Ἐννέα ὁδῶν κρατῆσαι καὶ διαφθαρῆναι*, sed *οἰκήτορας* tantum; quare ponit ante *ἐκράτησαν* vocabulum *αὐτοί* i. e. *οἰκήτορες*. Hac enim sola ratione *αὐτοὶ* intellegendum esse censeo, Kruegero quidem adversante. Eo autem, quod nominativum *οἱ Ἀθηναῖοι πέμψαντες* retinuit, neque commutavit in genit. abs., efficitur, ut Atheniensium respublica, quia colonos emiserat, particeps quasi appareat expugnationis *τῶν Ἐννέα ὁδῶν* sortisque colonorum miserae. Horum enim et victoria et calamitas ad Athenienses ipsos redundant. Similes loci sunt V, 81. 2: *Λακεδαιμόνιοι καὶ Ἀργεῖοι... ξυστρατεύσαντες... κατέστησαν αὐτοὶ οἱ Λακεδαιμόνιοι ἐλθόντες κ. τ. λ.* et VI, 74. 2: *οἱ δὲ... στασιάζοντες... ἐπεκράτουν... οἱ ταῦτα βουλόμενοι*, eo tantum a tractato diversi, quod nominativus appositionis munere fungens post verbum finit. demum sequitur, cum correctione quasi praecedentem nominativum restringens.

3. Nominativus, qui totum continet, conjunctus cum participio appositio est nominativi partem indicantis. Hujus

generis exemplum legimus IV, 69. 1—2: *γνόντες δὲ οἱ τῶν Ἀθηναίων στρατηγοί, ὅτι..., τὴν Νίσαιαν εὐθὺς περιετείχιζον...... τάφρον τε καὶ τείχη διελομένη ἡ στρατιὰ κ. τ. λ.* Contrarium habuimus sub 1. p. 26. cf. I. 49 3. Posuit Thuc. *διελομένη ἡ στρατ.* quia exercitus *τειχίζει*, non *οἱ στρατηγοί.* Cf. IV, 108. 3 *εἰωθότες οἱ ἄνθρωποι* et in infinitivi structura I, 10. 7: *μέλλοντας... καὶ ἔχοντας* sc. *αὐτοὺς* i. e. *Ἕλληνας.*

4. Nominativus totum continens appositio est nominativi, qui partem indicat, cum participio conjuncti. Ejusmodi est V, 61. 3: *καὶ πείσαντες* (sc. *οἱ Ἀθηναῖοι*)... *τοὺς ξυμμάχους ἐχώρουν ἐπὶ Ὀρχόμενον.... πάντες πλὴν Ἀργείων.* Thuc. dicit, Athenienses novos socios Peloponnesios commovisse, ut expeditioni contra Orchomenon se adjungerent. Subjectum enunciati est *πάντες*; et nominativo abs. *πείσαντες* Thuc. bene consecutus est, ut Athenienses ii appareant, qui, ut expeditionem paraverant, ita etiam suo nomine perfecerint, socii autem ii, qui Athenienses comitati tantum sint atque adjuverint. Cf. VI, 3. 2: *ὕστερον δὲ χρόνῳ καὶ ἡ ἔξω προςτειχισθεῖσα πολυάνθρωπος ἐγένετο.* Subjectum enim verbi *ἐγένετο* est tota Syracusarum urbs; *προςτειχισθεῖσα* igitur regimine suo caret; denique IV, 118. 9: *ἐκκλησίαν δὲ ποιήσαντας τοὺς στρατηγοὺς καὶ τοὺς πρυτάνεις περὶ τῆς εἰρήνης βουλεύσασθαι Ἀθηναίους κ. τ. λ.*, ubi nominativi propter structuram acc. c. inf. in accusativo apparent.

Manifestum est, omnibus his locis, quos attulimus, pro nominativo etiam genitivum abs. poni potuisse, mutata scilicet, ut jam compluries indicavimus, cogitatorum ratione. Discrimen perspicuum est. Res enim aliqua si constructione genitivi abs. exprimitur, apparet levius momentum actionis principalis; nominativo contra indicatur, subjectum hujus nominativi ducere quasi et regere subjectum enunciationis primariae atque commovere ad ea facienda, quae verbum finit. significat.

Cf. Matthiae., gr. gr. §. 562. 1 ann. 1. n. 2. Krueger., gr. gr. §. 56. 9. 1—2.

§. XIII.

Transeamus jam ad alterum participiorum nominativi anacoluthice positi genus, quod ea complectitur enunciata, in quibus nominativo abs., nulla cum enunciationis primariae nominativo intercedat ratio; nom. igitur abs., si grammaticam spectas, omnino non habet, quicum apte construatur; referri autem potest plerumque ad notionem quandam enunciationis primariae, quae ejus subjectum logicum est. Ita hac „constructione ad intellectum" explicandus est locus IV, 23. 2: *καὶ τὰ περὶ Πύλον ὑπ' ἀμφοτέρων κατὰ κράτος ἐπολεμεῖτο, Ἀθηναῖοι μὲν... περιπλέοντες..., Πελοποννήσιοι δὲ... στρατοπεδευόμενοι κ. τ. λ.* Nominativi *Ἀθηναῖοι περιπλέοντες* et *Πελοποννήσιοι στρατοπ.* positi sunt, quasi praecessisset *ἀμφότεροι ἐπολέμουν.* Omnino similis est locus, qui nobis se offert V, 70: *καὶ μετὰ ταῦτα ἡ ξύνοδος ἦν, Ἀργεῖοι μὲν... χωροῦντες, Λακεδαιμόνιοι δὲ κ. τ. λ.* ubi *ἡ ξύνοδος ἦν* ad sensum idem est atque *ξυνῆλθον.*

Cf. Richter l. c. §. 1. p. 6.—Kuehner, gr. gr. §. 678. 1.—Krueger., gr gr. §. 56. 9. 4.

Tum autem saepius invenimus in Thucydide nominativos abs., qui referendi ad casus obliquos proprie cum his in casu congruere deberent. Sed quum scriptor logicum tantum subjectum enunciationis, in qua hi casus obliqui leguntur, respiceret, posuit nominativos.

Sic legimus nominativum: 1. Pro genitivo VI, 61. 4: *εἴρητο... θεραπεύοντες... καὶ βουλόμενοι κ. τ. λ.* Ad *εἴρητο* supplendum est *ὑπ' αὐτῶν* ex praecedentis enunciationis subjecto *Ἀθηναῖοι.* Dicendum igitur fuisset *θεραπευόντων* et *βουλομένων.* Sed quum passiva structura *εἴρητο ὑπ' αὐτῶν* idem valeat atque activa *εἰρήκεσαν*, ad hanc construxit scriptor participia. I, 137. 4: *ἐδήλου δ' ἡ γραφὴ* (scil. *τοῦ Θεμιστοκλέους*) *κ. τ. λ.* Participium parentheseos *γράψας* in nominativo positum est, acsi supra praecessisset *ἐδήλου τῇ γραφῇ Θεμιστοκλῆς* vel simile aliquid. Denique etiam in

infinitivi constructione IV, 52. 3., ubi *κρατυνάμενοι* nominativus referendus est ad verbum *διενοοῦντο*, quod inest in locutione *ἦν αὐτῶν ἡ διάνοια.* Cf. Lobeck. ad Phryn. p. 755.

2. Pro Dativo III, 36. 2: *ἔδοξεν αὐτοῖς... κτεῖναι... ἀνδραποδίσαι, ἐπικαλοῦντες κ. τ. λ.* Pro *ἔδοξεν αὐτοῖς* in mente habebat Thuc. *ἐψηφίσαντο* sive *ἔγνωσαν.* VII, 42. 2 *καὶ τοῖς μὲν Συρακοσίοις καὶ ξυμμάχοις κατάπληξις οὐκ ὀλίγη ἐγένετο... ὁρῶντες κ. τ. λ.* Obversabatur menti scriptoris: *οἱ Συρακόσιοι οὐκ ὀλίγον κατεπλάγησαν.* VII, 70. 7 *πολλὴ γὰρ ἡ παρακέλευσις καὶ βοὴ... τοῖς κελευσταῖς ἐγίγνετο*, quod perinde est acsi dixisset Thucyd.: *πολλὰ οἱ κελευσταὶ παρεκελεύοντο καὶ ἐβόων*, quare sequitur nominativus *ἐπιβοῶντες.* Sequuntur duo loci quibus bina participia ad dativum regentem referenda sunt, quorum alterum cum dativo in casu congruit, alterum autem logicum subjectum respiciens in nominativo positum est: IV, 108. 3 *ἄδεια ἐφαίνετο αὐτοῖς, ἐψευσμένοις . . .*, tum sequitur *κρίνοντες*, quasi praecederet *ἄδειαν ἐνόμιζον* s. *ἡγοῦντο;* et VI, 24. 2... *εὐέλπιδες ὄντες*, quia *ἔρως ἐνέπεσε τοῖς πᾶσιν* i. q. *πάντες ἐβούλοντο, ἐπεθύμουν;* ut consentaneum est, sequentia quoque in nominativo sunt posita: *ὁ πολὺς ὅμιλος καὶ στρατιώτης κ. τ. λ.*

Etiam in infinitivi constructione ponit Thuc. post *δοκεῖ μοι*, quum in mente habeat verbum *ψηφίζομαι*, nominativum participii his in enunciatis VII, 74. 1: *ἀναλαβόντες*, plerisque optimisque codicibus adstipulantibus; et VII, 80. 1, ubi tamen, accusativus (*καύσαντας*), quem codices et alii et Vaticanus exhibent, fortasse praeferendus est.

3. Pro Accusativo II, 53. 3: *θεῶν δὲ φόβος ἢ ἀνθρώπων νόμος οὐδεὶς ἀπεῖργε... κρίνοντες... οὐδεὶς ἐλπίζων*, qui nominativi positi sunt ac si esset in proxime praegressis haec: *θεῶν δὲ φόβῳ ἢ ἀνθρώπων νόμῳ οὐδενὶ ἀπείργοντο,* aut similis constructio.

Cf. Richter. l. c. p. 7. Kuehner., gr. gr. §. 677. — Matthiae., gr. gr. §. 562. 1. — Madvig., §. 216. ann. 2. Krueger., gr. gr. §. 56. 9. 4.

Sequuntur nonnulli singulares loci, qui in diversis classibus collocari non poterant.

Mirum in modum elaborati sunt hi duo loci III, 34. 3: *ὁ δὲ* (i. e. *Πάχης*) *προκαλεσάμενος ἐς λόγους Ἱππίαν . . . ὁ μὲν* (i. e. *Ἱππίας*) *ἐξῆλθε . . . ὁ δὲ* (i. e. *Πάχης*) *ἐκεῖνον ἐν φυλακῇ εἶχεν κ. τ. λ.* et IV, 80. 3 *καὶ προκρίναντες ἐς δισχιλίους* (sc. *οἱ Λακεδαιμόνιοι*), *οἱ μὲν* (sc. *οἱ προκεκριμένοι τῶν Εἱλώτων*) *ἐστεφανώσαντο . . . οἱ δὲ* (*Λακεδαιμόνιοι*) *. . . ἠφάνισαν κ. τ. λ.:* Nominativus abs. (*ὁ προκαλεσάμενος — προκρίναντες*) incipit orationem; eum sequitur aliud subjectum cum *μὲν* particula verboque suo finito, quam enunciationem excipit repetitus cum *δὲ* particula prior ille nominativus ejusque verbum finitum. — Causa, quare Thucydides hanc incongruam admiserit structuram, facile intellegitur; hac enim constructione indicatur, subjectum secundi enunciationis membri subjectum prioris membri movere atque adducere ad id faciendum, quod in priore membro dicitur, inter ea autem, quae participio abs. quamquam solum ad verbum finit. secundi membri pertinente exprimuntur, et ea, quae priore membro significantur, interiorem intercedere rationem.

Cf. Richter l. c. §. 3 p. 9. Kuehner, gr. gr. §. 679. Krueger, gr. gr. §. 56. 9. 3. Matthiae gr. gr. §. 562 1. 1 fin.

Tum IV, 40. 2 incepta est oratio ab *ἀπιστοῦντες*, quasi sequeretur „ferebant responsum“; pro hoc autem praedicato statim infertur narratiuncula, in qua, si sensum respicis, responsio inest. Cf. Krueg. ad h. l. Vix ferendus videtur nominativus *φέροντες* III, 53. 4 (cf. interp.) ubi aut genitivus abs. *ὑμῶν φερόντων* aut pro *καθιστώμεθα* exspectatur *καθιστῆτε.* Denique qui plerumque huc trahuntur loci I, 36. 4 et VIII, 80. 2 jam tractati sunt. Cf. §. IX. et §. VIII.

In universum cf. Hartz. l. c. p. 8—11. Ebhardt l. c. p. 5. Matthiae gr. gr. §. 556. ann. 3. Poppo prolegg. I, 1. p. 108—12.

§. XIV.

Restat, ut dicamus de participio neutrius generis, quod et solum et cum adjectivo vel substantivo conjunctum usurpetur atque pro hypothetica vel causativa enunciatione sive pro genitivo abs. positum videri possit. Quaeritur quidem, num hae participiorum formae, ut *ἐξόν*, *οὐκ ὄν*, *εἰρημένον*, aliae, revera nominativi sint. Henr. quidem Stephanus de dial. p. 22 sq. Vigerus p. 329 sq. Buttmann. gr. gr. §. 145 an. 7. 2. Kuehner gr. gr. §. 676 a. Matthiae gr. gr. §. 564. Madvig gr. gr. §. 182. Krueger gr. gr. §. 56. 9. 5—7 hos casus pro accusativis habent; Hermann. autem ad Viger. p. 769. n. 329—30. Fischer ad Well. III, p. 392. Lobeck. ad Phryn. p. 278. Thiersch gr. gr. §. 276. 2 Bernhardy synt. p. 471. nominativos esse censent. Vellem autem, haec sua judicia argumentis confirmavissent. Bernhardy solus addit: „Wenn es Accusative wären, müssten sie sich abhängig in einer subjectiven Rede mit *ὡς* oder epexegetisch finden.“ Alii omnes solo sensu suo nisi esse videntur. Si autem sensum sequi licet, equidem nominativos esse putare malim. Nominativus enim unicus casus est, qui re vera absolute poni potest; nam per se ipsum jam liquet et a nulla alia sententia nec prolata nec solum cogitata dependet. Accedit quod nominativi abs. usus apud omnes scriptores Graecos longe lateque est propagatus atque adeo frequens, ut exempla sint innumera, accusativi autem abs. usus, ut infra videbimus §. XVII, rarissimus vel nullus. Inde jam experientia nos edocet, hos casus pro nominativis esse habendos.

Quum autem hae structurae difficultatis nihil habeant, atque ita sint tritissimae et usu quasi sanctae, ut paene pro anacoluthis habeantur, diversas tantum hujus usus formulas, quae apud Thucydidem leguntur, afferre et enumerare mihi liceat. Sunt autem hae: *ἄδηλον ὄν* I, 2. 1; VIII, 96. 2; *παρατυχόν* I, 76. 3; V, 60. 2; *παρασχόν*, I, 120. 3. V, 14. 1; 60. 4; 63. 1; *ὑπάρχον* I, 124. 1. III, 63. 2 *δεδογμένον*

I, 140. 3; V, 30. 2; 39. 2; VII, 18. 3; 77. 6. *οὐ χρεών* III, 40. 4; *οὐ προσῆκον* III, 40. 4; IV, 95. 1; VI, 82. 2; 84. 1 *χρησθέν* III, 96. 1 *ἐπιχώριον ὄν* IV, 17. 2 *ἐξόν* IV, 18. 3; 65. 3: *παρόν* IV, 19. 2. V, 103. 2. *δοκοῦν* IV, 125. 1. *κυρωθὲν οὐδέν* IV, 125. 1. *παρεστηκός* IV, 133. 1 *γεγραμμένον* V, 56. 2 *ἄλλο τι δόξαν* V, 65. 3; VIII, 79. 1; 93. 1; *δέον* VII, 15. 1 *ἀδύνατον ὄν* VII, 44. 4. Denique III, 53. 2 „*τό τε ἐπερώτημα βραχὺ ὄν*“ huc referendum censeo, quia, si objectum verbi *τεκμαιρόμενοι* intellegitur, non aptum praebet sensum. Continet potius alteram causam, qua ducti Plataeenses Lacedaemonios alterius partis studiosos putent „quia quaestio ita brevis est.“ Omnino quidem similis hic locus antea allatis non est, sed *κυρωθὲν οὐδὲν* IV, 125. 1 et *ἄλλο τι δόξαν* V, 65. 3 proxime accedunt ad nostri loci similitudinem.

§. XV.

Transgrediamur ad genitivum anocoluthice positum.

Ex primitiva genitivi potestate liquet, genitivos abs. solito more adhibitos nihil habere quod offendat. Continebit igitur haec paragraphus expositionem eius abnormis usus, secundum quem contra regulam a grammaticis statutam, qua genitivi abs. collocari non possunt, nisi duo sunt orationis membra, quorum unum protasin, alterum apodosin exhibet, ita tamen, ut inter utrumque relatio intercedat nulla, genitivus abs. legitur in enunciatis, in quibus, quum aliud quoque vocabulum notionem subiecti genitivi abs. iam contineat, proprie participium attributivum fuisset collocandum.

Si autem in causas huius usus inquiram, scriptor eo consilio de vulgari dicendi consuetudine deflexisse mihi videtur, ut sententia genitivis abs. comprehensa, quam fieri possit, distincte acuteque oratione exprimatur et ab superiore enunciato quam plurime distenta exsistat. Genitivus abs. autem huic consilio optime servit; efficit enim, ut structura bipartita fiat. Insuper haud raro sententiarum gravitatem perspi-

cuitatemque auget atque adiuvat atque adeo saepius ad contrarias res sibi opponendas fere necessarius est.

Videamus iam exempla:

1. Pro nominativis genitivos abs. habes II 83., 3 *ἐπειδὴ μέντοι ἀντιπαραπλέοντάς τε ἑώρων (οἱ Κορίνθιοι) αὐτούς, παρὰ γῆν σφῶν (τῶν Κορινθίων) κομιζομένων, καὶ ... διαβαλλόντων (τῶν Κορινθίων) ἐπὶ Ἀκαρνανίας κατεῖδον (οἱ Κορίνθιοι) τοὺς Ἀθηναίους... ἀναγκάζονται ναυμαχεῖν* cf. III 13. 6; VIII 76. 2. Etiam insolentiores sunt loci, ubi subiecti genitivus simul deest, velut IV 73. 3 *ἡσσηθέντων* scil. *σφῶν* i. e. *τῶν Λακεδαιμονίων*; praeter VII 57. 10 cf. VII 48. 2, quem locum Poppo (I. 1. p. 121) perperam in censum genitivorum abs. pro accusativis positorum refert; et si codicum auctoritatem sequeris, etiam VI 7. 2, ubi tamen propter nimiam genitivi *ἐξελθόντων*, qui perfacile ex praecedente *ἐλθόντων* irrepsisse potest, duritatem nominativum praeferas. Cf. Krueg. ad h. l.

Denique genitivum abs. pro nominativo positum invenisse male sibi visus est Poppo (I 1. p. 120) VIII 76. 4, quo de loco v. infra sub 3. Magis iam excuses locos, ut III 78. 2 *οἱ δὲ ὑπεχώρουν.......... ἑαυτῶν σχολῇ τε ὑποχωρούντων καὶ πρὸς σφᾶς τεταγμένων τῶν ἐναντίων.* III 112. 4 *προκατειλημμένων δὲ τῶν ὁδῶν καὶ ἅμα τῶν μὲν Ἀμφιλόχων ἐμπείρων ὄντων... τῶν δὲ* (sc. *τῶν Ἀμπρακιωτῶν*) *ἀπείρων* (sc. *ὄντων*), *ἐσπίπτοντες* (sc. *οἱ Ἀμπρακιῶται*).... *διεφθείροντο.* et V 31 *πολέμου γὰρ γενομένου.... καὶ Ἠλείων παρακληθέντων...., Ἠλεῖοι κ. τ. λ.* His enim in enunciatis genitivi abs. usurpati sunt propter alterum genitivum abs. praecedentem aut sequentem, cui commode adiungi poterant; et secundo loco hoc etiam accedit, quod *τῶν δὲ ἀπείρων* et *τῶν μὲν ἐμπείρων* inter se opponuntur, ita ut genitivus sit aptissimus.

2. Pro dativis genitivi abs. usurpati sunt V 103. 1 *τοῖς δὲ.... σφαλέντων*, ubi per *σφαλέντων* iidem significantur atque per *τοῖς δέ.* Cf. I 114. 1; VI 10. 1.

3. Pro accusativis denique genitivi abs. exstant III 22 1: .... *προςέμιξαν τῷ τείχει.... λαθόντες τοὺς φύλακας... οὐ προϊδόντων αὐτῶν* i. e. *τῶν φυλάκων.* cf. IV 20. 3; VIII 90. 5. Addo V 3. 1 *ἡ παροῦσα φυλακὴ προςβαλόντων τῶν Ἀθηναίων ἠμύνοντο*, quamquam hic *ἀμύνεσθαι* absolute positum esse potest. Huc quoque trahit Poppo (I 1. p. 121) VI 12. 1, pro *αὐτοὺς..... παρασχομένους* genitivum abs. coniiciens; Bekkeri autem coniectura, *αὐτοὺς* simpliciter in *αὐτῶς* commutans facilior itaque probabilior mihi videtur, praesertim quum complures codd. *αὐτῶς* iam exhibeant. Exempla, ubi subiecti genitivus non expressus est, affert Poppo II 8. 3. III 72. V. 33. 1 quibus adjungo III, 55. 1: *δεομένων* (sc. *ἡμῶν*) *γὰρ ξυμμαχίας, ὅτε Θηβαῖοι ἡμᾶς ἐβιάσαντο, ὑμεῖς ἀπεώσασθε κ. τ. λ.* IV, 8. 6 .... *ἐκπολιορκήσειν τὸ χωρίον... σίτου τε οὐκ ἐνόντος καὶ δι' ὀλίγης παρασκευῆς κατειλημμένου* (sc. *τοῦ χωρίου*) (quamquam genitivus *κατειλημ.* mihi valde suspectus est et facillime propter antecedens *σίτου τε οὐκ ἐνόντος* ortus esse potest, quare Dobrei conjecturam *κατειλημμένον* haud rejiciendam puto cf. Krueg. ad h. l.) IV, 41. 4; 108. 1; 130. 3 (ubi lectio *φοβηθέντων* a Scholiasta jam agnita praeferenda est nonnullorum codicum scripturae *φοβηθέντας*, quae sine dubio interpreti cuidam debetur) V, 18. 4; 31, 3; 56. 5; VI, 53. 1. Denique huc referendum censeo VIII, 76. 4 *καὶ δι' ἑαυτούς τε ἐν τῇ Σάμῳ προκαθημένους καὶ πρότερον αὐτοὺς κρατεῖν τοῦ ἐς τὸν Πειραιᾶ ἔσπλου, καὶ ἐς τοιοῦτον καταστήσονται μὴ βουλομένων σφίσι πάλιν τὴν πολιτείαν ἀποδοῦναι, ὥστε αὐτοὶ εἴργειν ἐκείνους τῆς θαλάσσης ἢ ὑπ' ἐκείνων εἴργεσθαι*, locum a viris doctis magnopere jam vexatum. Ut aliorum sententias conjecturasque omittam, sensus totius loci hic mihi esse videtur: „Et (dicebant milites Athenienses Sami commorantes) propter se, quia apud Samum versarentur, eos (i. e. Athenienses, qui Athenis erant) ingressu in Piraeum potiri, (nunc transit scriptor in verbum finit. mutatque subjectum) et nunc ii (qui Sami sunt) eos (qui Athenis sunt) in tali condicione collocabunt, ut, nisi sibi rempublicam (*δημοκρατίαν*) reddere velint, ipsi facilius illos a mari prohibere possint, quam ab illis prohiberi."

Qua explicatione probata, *βουλομένων* pro accusativo positum accipias necesse est; quae autem ei opponi possunt, levioris momenti mihi videntur esse; mutatio enim subjectorum, quae h. l. fortasse jam transitu in verbum finit. indicatur ideoque magis excusari potest, Thucydidi in universum haud inusitata est et si Poppo collocatione vocabuli *ὥστε*, quod post *καταστήσονται* ponendum fuisse putat, offenditur, nihil, opinor, differt, utrum *μὴ βουλομένων* ad *καταστήσονται* referas, an enunciationi ab *ὥστε* incipienti inseras.

Cf. Richter. l. c. § 16, p. 29 sqq. Hartz. l. c. p. 12 sqq. Kuehner. gr. gr. § 681. Matthiae gr. gr. e 561 fin. Madvig gr. gr. § 181. 6. Krueger. gr. gr. § 47. 2 et 3.

§. XVI.

Dativi participii anacoluthice usurpati exemplum, quod per „constructionem ad intellectum" explicandum est, habes I, 62. 2: *ἦν δὲ ἡ γνώμη τοῦ Ἀριστέως τὸ μὲν μεθ' ἑαυτοῦ στρατόπεδον ἔχοντι κ. τ. λ.* ubi *ἔχοντι* dativus positus est, ac si praecederet *ἔδοξε τῷ Ἀριστεῖ*. Hic unicus abnormis Dativi usus locus est, quem ex Thucydide afferre possum. Ubi enim interpp. participiorum dativos pro aliis casibus dictos putant, alio modo verba et quidem ex propria tertii casus significatione explicanda mihi videntur. Huc pertinent II, 90. 1 *οἱ δὲ Πελοποννήσιοι..... δεξιῷ κέρᾳ ἡγουμένῳ κ. τ. λ.* ubi *δ. κ. ἡ.* (den rechten Fluegel voran) dativus ut ita dicam militaris est, sicuti *στόλος*, *στρατὸς*, *νῆες*, similia, si societatem indicant, in dativo ponuntur, nulla addita praepositione; tum IV, 56. 1 *τοῖς δ' Ἀθηναίοις τότε τὴν παραθαλάσσιον δῃοῦσι τὰ μὲν πολλὰ ἡσύχασαν*, quem dativum commodi s. incommodi dicere licet vel relationis „in Ruecksicht auf cf. IV, 10. 3; 120. 2; et VIII, 24. 5, quo de loco jam disputavit Matthiae. gr. gr. § 562. 2. cf. Wannowski, synt. anom. p. 90.

Prope quidem hi dativi accedunt ad absoluti potestatem omnibusque his locis genitivus abs. poni poterat; necessarius

autem non est, quare mutatio, quam Poppo ad IV, 10. 3 proposuit, supervacanea est.

§. XVII.

Sequatur accusativus abs. vel anacoluthus, qui, quoties verbum deesse videtur, quo apte possit referri, libentius conceditur. Apud Thucydidem, ita etiam apud ceteros scriptores Graecos nusquam accusativus invenitur, qui ut nominativus cum participio conjunctus absolutam efficiat enunciationem (cf. Bernhardy, paralipp. synt. Graec. p. 16 sqq. et quos ibi laudavit viros doctos), sed ubique aut e verbo quopiam pendet, aut pro nominativo habendus aut alia via explicandus est. Falso igitur huc referuntur I, 52. 2 (cf. § IX), IV, 106. 1 (cf. § XII) quamquam hic locus particulis *μὲν — δὲ* insertis illis paullo insolentior est, I, 10. 6 (cf. § XII), III, 53. 2 (cf. § XIV) alii.

Anacoluthiam autem efficit accusativus pro dativo positus V, 79. 1 „*καττάδε ἔδοξε τοῖς Λακεδαιμονίοις καὶ Ἀργείοις σπονδὰς καὶ ξυμμαχίαν εἶμεν πεντήκοντα ἔτη ἐπὶ τοῖς ἴσοις καὶ ὁμοίοις, δίκας διδόντας καττὰ πάτρια;* ubi *διδόντας* admissum est, quasi praecederet *ξυμμαχίαν ποιεῖσθαι.*

Similiter etiam accusativus participii cum *ὡς* particula conjunctus aliquoties pro alio casu legitur. Notum est hanc structuram post verba dicendi et sentiendi idem valere atque accusativi c. inf. constructionem. Si autem tale verbum non antecedit, structura anomala est atque dicendi vel sentiendi notio ex praecedente verbo, sive cognatum est ei, sive non est, mente supplenda. Comparentur hac de re grammatici et interppr. ad Thuc. I, 134. 4; IV, 5; VI, 24, 2; VII, 25. 7; 31. 3; VIII, 66. 4.

§. XVIII.

Non omittendum h. l. existimo etiam in infinitivi constructione Thucydidem saepius nominativum usurpasse, ubi

alium casum exspectas. Ita legimus VIII, 48. 6 sq. „(Ὁ Φρύνιχος ἔφη) τούς τε καλοὺς κἀγαθοὺς οὐκ ἐλάσσω αὐτοὺς νομίζειν…, καὶ τὸ μὲν ἐπ' ἐκείνοις εἶναι καὶ ἄκριτοι ἂν καὶ βιαιότερον ἀποθνήσκειν. κ. τ. λ.

Nominativus ἄκριτοι eo potest excusari, quod referendus est ad regentis enuntiationis subjectum, scriptorem autem oblitum esse, hoc ipsum subjectum (αὐτούς) in accusativo esse positum. Attamen verisimilius est, consulto usurpatum esse nominativum ad rationem, quae intercedat inter hos ἄκριτοι et eos, qui dicentes cogitantur i. e. socios, dilucide indicandam atque premendam. Cf. Lobeck. ad Phryn. p. 755. V, 41. 2 ἔπειτα δ' οὐκ ἐώντων Λακεδαιμονίων μεμνῆσθαι περὶ αὐτῆς, ἀλλ' εἰ βούλονται σπένδεσθαι ὥσπερ πρότερον, ἑτοῖμοι εἶναι, κ. τ. λ. Proprie dicendum erat ἑτοίμων (vel ἑτοίμους), quum spectet ad οὐκ ἐώντων, ex quo ad ἀλλὰ mente desumendum est, λεγόντων; sed si pro genitivo abs. enuntiationem per se constantem substituimus: ἐπειδὴ οὐκ εἴων, ἀλλ' ἔλεγον, facile apparet, quomodo nominativus admitti potuerit. Cf. VIII, 104. 3 ἐπειγομένων δὲ τῶν Πελοποννησίων… ὑπερσχόντες αὐτοί…. κ. τ. λ. et Krueg. ad VIII, 63. 2 (cf. Krueg. Hist. phil Stud. II, p. 202), qui auctoritate codicum horumque locorum analogia nixus edidit: αὐτῶν τῶν Σαμίων προτρεψάντων…. καίπερ ἐπαναστάντες αὐτοὶ κ. τ. λ.

Valde autem durus est locus V, 50. 1 ὡς δ' οὐκ ἐσήκουον (οἱ Λακεδαιμόνιοι), αὖθις τάδε ἠξίουν (οἱ Ἠλεῖοι) Λέπρεον μὲν μὴ ἀποδοῦναι, εἰ μὴ βούλονται, ἀναβάντες δὲ κ. τ. λ. quum subjectum pendentis sententiae (Λακεδαιμονίους ad ἀποδοῦναι) certe in accusativo casu supplendum sit, participium autem, quod additum est, nominativo efferatur.

Editores quidem omnes, quos inspexi, praeter Goellerum receperunt Bekkeri conjecturam ἀναβάντας; attamen quum libri in lectione ἀναβάντες consentiant, equidem nominativum retineo. Nam quo neglegentior est oratio, quo majore scatet scabritie, eo majorem etiam veri speciem nanciscatur necesse est. Praeterea quamquam e Thucydide quidem aliud huiusce

usus exemplum afferre non possum, tamen apud alios scriptores omnino similia exstant. Sic legitur in Hom. Il. II, 350 sqq.: „φημὶ γὰρ οὖν κατανεῦσαι ὑπερμενέα Κρονίωνα…. ἀστράπτων κ. τ. λ. et Xenoph. Cyrop. I, 4. 26: τέλος δὲ (scil. λέγεται) καὶ ἣν εἶχε στολὴν τὴν Μηδικὴν ἐκδύντα δοῦναί τινι, δηλῶν, ὅτι τοῦτον μάλιστα ἠσπάζετο.

Si autem quaeritur, quomodo nostro loco scriptor ad nominativum devenerit, mihi interjectum membrum εἰ μὴ βούλονται causa esse videtur, ut vice versa II, 74. 1 interjectum εἰ δεῖ accusativum ὁρῶντας effecit. Cf. Lobeck l. c. Ebhardt l. c. p. 6. Poppo prolegg. p. 115 sqq.

§. XIX.

Jam disputationem de casibus a justa forma recedentibus claudat ea casuum mutatio, quae attractione quadam efficitur.[1]) In enunciationibus enim in quas, id quod usitatissimum dicendi genus est, per parenthesin sententia cum γὰρ particula inseritur, ita, ut enunciatio explicans antecedat explicandae, interdum fit, ut subjectum posterioris enunciationis in priorem transferatur ejusque regimini subjiciatur; quae loquendi ratio imprimis Herodoto est propria cf. Herod. I, 24; I, 114; II, 101; IV, 200; IX, 109. Apud Thucydidem talis usus haec exstant exempla: I, 115. 4: τῶν δὲ Σαμίων — ἦσαν γάρ τινες…. — ξυνθέμενοι…. διέβησαν κ. τ. λ. VIII. 30. 1 …τοῖς Ἀθηναίοις — προσαφιγμέναι γὰρ ἦσαν νῆες… ξυναγαγόντες ἐβούλοντο κ. τ. λ. Ibi τῶν Σαμίων pendet a τινες, hic τοῖς Ἀθηναίοις a προσαφιγμέναι; exspectas nominativos οἱ Σάμιοι — Ἀθηναῖοι. I, 72. 1 τῶν δὲ Ἀθηναίων ἔτυχε γὰρ πρεσβεία πρότερον ἐν τῇ Λακεδαίμονι περὶ ἄλλων παροῦσα,

[1]) Inversae quam vocant attractionis, quae, quum substantivum vel pronomen insequentis relativi casu, non eo, quem verbum postulat, proferatur, item anacoluthiam efficit (cf. Madvig. gr. gr. § 101 a. adn.) exemplum apud Thucydidem non inveni.

καὶ ὡς ᾔσθοντο κ. τ. λ. qui locus etiam eo insignis est, quod καὶ particula insuper anacoluthice inserta est (cf. § II.).

Hoc quidem καὶ multos interpp. jam multum vexavit: Reisk. (apud Abresch. dilucc. p. 75) Krueger. deleri volunt; Hermann. (Philol. I p. 392) trajectum putat ponitque ante πρότερον; aliam denique loci enodationem excogitavit Darpe l. c. p. 64, qui, ut καὶ structurae concinnitatem non turbans servari possit, omnia ab ἔτυχε usque ad πολεμεῖν sequentis paragraphi parenthesin esse vult, qua finita οὖν narrationem excipiat, ita ut hic locus similis esset iis (§. VII.) a me tractatis. Sed ne urgeam ita parenthesin e compluribus enunciatis constantem nimis fieri longam, mihi hoc καί, quum Thuc., ut §. I sqq. vidimus, post parentheses easdemque saepius brevissimas inserere particulas in universum orationem mutare amet, illorum locorum analogia satis defendi videtur. Cf. Classen ad h. l. — Verba Thucydidis non recte intellexerunt Krueger, Darpe, alii, etiam I, 51. 1 in hunc censum referentes: τοῖς δὲ Κερκυραίοις, ἐπέπλεον γὰρ μᾶλλον ἐκ τοῦ ἀφανοῦς, οὐχ ἑωρῶντο καὶ ἐθαύμαζον τοὺς Κορινθίους κ. τ. λ. Quivis enim totius orationis contextum inspexerit, facillime sibi persuadebit, hunc esse loci sensum: „A Corcyraeis (naves Athenienses) [veniebant enim ex occulto] non videbantur“ et nunc pergit scriptor „et (Corcyraei) mirabantur Corinthios,“ quasi activa praecessisset constructio“ οἱ Κερκυραῖοι αὐτὰς οὐχ ἑώρων. Ceterum commemorandum est, dativum τοῖς Κερκυραίοις etiam ad ἐκ τοῦ ἀφανοῦς spectare, id quod mihi causa passivae structurae videtur esse.

Cf. Ebhardt l. c. p. 7. Kuehner gr. gr. §. 754. 4. Bernhardy synt. p. 465. Matthiae gr. gr. §. 615. Krueger gr. gr. §. 60. 4. 2.

§. XX.

His explicatis, quae ad casuum enallagen spectant, jam ad aliud frequentissimum longissimeque propagatum anaco-

luthiae genus me converto, quod in transitu ab alia in aliam structuram positum est. In sententiis enim quae ex pluribus membris inter se respondentibus compositae sunt, concinnitatis respectu non habito non idem in omnibus usurpatur dicendi genus, sed ab alio ad aliud saepissime fit transitus. Thucydidi autem hanc loquendi consuetudinem praecipue propriam esse atque usitatam, jam ex eo colligi potest, quod in universum magnopere amat constructionem mutare atque variare, magnaque diversarum hujus usus formarum et locorum multitudine satis comprobatur.

Sic transit

1. a participio ad indicativum et enunciationem per se constantem I, 57. 2 δεδιὼς τε ἔπρασσεν ἔς τε τὴν Λακεδαίμονα πέμπων, ὅπως πόλεμος γένηται αὐτοῖς πρὸς Πελοποννησίους, καὶ τοὺς Κορινθίους προςεποιεῖτο τῆς Ποτιδαίας ἕνεκα ἀποστάσεως. Pro καὶ — προςποιούμενος, quod ponendum erat, ut praegresso τε — πέμπων responderet, verbum finit. illatum est. Cf. II, 29. 4; 47. 2; III, 2. 1; 81. 3; 82. 1 (cf. Krueg. ad h. l.); III, 87. 1; IV, 72. 1; 100. 1; V, 61. 3; VIII, 5. 2; 45. 5; 81. 1; et in infinitivi structura VI, 72. 4. Denique huc refero I, 126. 7 ἤλασαν μὲν καὶ οἱ Ἀθηναῖοι... ἤλασε δὲ καὶ Κλεομένης... τούς τε ζῶντας ἐλαύνοντες καὶ τῶν τεθνεώτων τὰ ὀστᾶ ἀνελόντες ἐξέβαλον, quod plerique supervacaneum judicant, nonnulli delent, si transitum ad indicativum statuis, ferri potest. A genitivo absol. ad indicativum transitur VII, 13. 2: τὰ δὲ πληρώματα.... ἐφθάρη... τῶν ναυτῶν μὲν... ἀπολλυμένων, οἱ δὲ θεράποντες... αὐτομολοῦσι κ. τ. λ. cf. VII, 15. 2; 47. 2 et Krueg. ad Dion. Hal. p. 264.

2. a participio ad infinitivum III, 94. 3 Δημοσθένης δ' ἀναπείθεται... Αἰτωλοῖς ἐπιθέσθαι, Ναυπάκτῳ τε πολεμίοις οὖσι καὶ ἢν κρατήσῃ αὐτῶν, ῥᾳδίως καὶ τὸ ἄλλο ἠπειρωτικὸν τὸ ταύτῃ Ἀθηναίοις προςποιήσειν; quum dictum esset Ναυπάκτῳ τε πολεμίοις οὖσι, sequi debebat, ut monuit jam Poppo, καὶ καιρὸν δώσουσι προςποιεῖν vel simile aliquid; ceterum

pendet infinitivus a verbo quodam quod latet in *ἀναπείθεται*, scil. *ἔλεγον*. IV, 3. 3: *λιμένος τε προςόντος καὶ τοὺς Μεσσηνίους... πλεῖστ' ἂν βλάπτειν καὶ ἔσεσθαι* pro *τῶν Μεσσηνίων βλαπτόντων καὶ... ἐσομένων*. VIII, 78. 2 *τοῦ μὲν οὐκ ἐθέλοντος... τὸν δ' αὖ Τισσαφέρνην.., κομίζειν.*

3. a substantivo vel simplici vel cum praepositione juncto ad plenam eamque liberam sententiam I, 82. 2 *ξυμμάχων τε προςαγωγῇ... καὶ τὰ αὑτῶν ἐκποριζώμεθα.* I, 110. 1 *τοῦτον δὲ διὰ μέγεθός τε τοῦ ἕλους οὐκ ἐδύναντο ἑλεῖν καὶ ἅμα μαχιμώτατοί εἰσι τῶν Αἰγυπτίων οἱ ἕλειοι.* VII, 80. 1 *τῶν τε ἐπιτηδείων πάντων ἀπορίᾳ ἤδη καὶ κατατετραυματισμένοι ἦσαν πολλοὶ κ. τ. λ.*

4. a substantivo ad infinitivum V, 53. 2 *ἐδόκει... προςλαβεῖν, τῆς τε Κορίνθου ἕνεκα ἡσυχίας καὶ ἐκ τῆς Αἰγίνης βραχυτέραν ἔσεσθαι τὴν βοήθειαν κ. τ. λ.*

5. ab infinitivo ad indicativum: Poppo I, 1 p. 272 affert VI, 77. 2: ... *ὁρῶντες αὐτοὺς ἐπὶ τοῦτο τὸ εἶδος τρεπομένους ὥστε τοὺς μὲν λόγους ἡμῶν διϊστάναι, τοὺς δὲ... τοῖς δὲ ὡς ἑκάστοις τι προςηνὲς λέγοντες δύνανται κακουργεῖν;* sed verba non recte intellexit, quae sic sunt construenda: *τοῖς δὲ* (pro *τοὺς δὲ* dativo ab *ἑκάστοις* attracto) *λέγοντες τι προςηνές, ὡς ἑκάστοις δύνανται* (scil. *λέγειν*), *κακουργεῖν;* tum VIII, 76. 4, ubi autem, quum complures infinitivi antecedant atque sequantur, indicativus *καταστήσονται* valde suspectus est. Cf. tamen §. XV.

6. ab enunciatione consecutiva ad sententiam liberam V, 14. 1 *ξυνέβη ..., ὥστε πολέμου μὲν μηδὲν ἔτι ἅψασθαι μηδετέρους, πρὸς δὲ τὴν εἰρήνην μᾶλλον τὴν γνώμην εἶχον κ. τ. λ.;* (pro *ἔχειν*) VIII, 5. 2 .... *ἀναπείθεται Ἆγις ὥστε Εὐβοίας μὲν πέρι ἐπισχεῖν, τοῖς δὲ Λεσβίοις π α ρ ε σ κ ε ύ α ζ ε τὴν ἀπόστασιν κ. τ. λ.* (pro *παρασκευάζειν*.)

7. ab enunciatione finali ad liberam sententiam VI, 18. 4 *ποιώμεθα τὸν πλοῦν, ἵνα Πελοποννησίων στορέσωμεν τὸ φρόνημα, καὶ ἅμα ἢ τῆς Ἑλλάδος πάσης ἄρξομεν ἢ κακώσομεν*

Συρακουσίους κ. τ. λ.; oratio, quae ab *ἵνα στορέσωμεν* orditur, in indicativos *ἄρξομεν* et *κακώσομεν* deflectit.

8. ab enunciatione condicionali ad interrogationem et quidem directam I, 121. 4 *ἢ δεινὸν ἂν εἴη, εἰ οἱ μὲν ... ἀπεροῦσιν, ἡμεῖς δὲ ... οὐκ ἄρα δαπανήσομεν κ. τ. λ.* Particula *ἄρα* indicat, enunciati alterum membrum non amplius pendere e particula *εἰ*, sed absolute positum esse. Si autem Stallbaum quem Krueger citat ad h. l., ad Plat. apol. 34. c. contendit, *ἄρα* in talibus enunciatis indicare contrarium illud, quod ex praecedentibus colligatur, esse absurdum atque eam ob causam anacoluthiam non esse statuendam censet, equidem, quod ad Thucydidis locum attinet, adstipulari non possum. Nam negatio *οὐκ*, nisi forte pro *μὴ* positum esse itaque aliam et fortasse majorem neglegentiam statuere mavis, aperte docet, enunciationem hanc non esse hypotheticam et *εἰ* particulam omnino evanuisse. Accedit ergo locus ad analogiam illius, quem Krueger citat, Lys. 12. 36: *οὔκουν δεινὸν εἰ τοὺς μὲν στρατηγοὺς ... θανάτῳ ἐζημιώσατε· τούτους δὲ ... οὐκ ἄρα χρὴ κολάζεσθαι.*

Cf. Engelhardt l. c. spec. I, p. 21 sqq.

9. a relativis sententiis ad demonstrativas easque per se constantes II, 4. 3. *ἐςπίπτουσιν ἐς οἴκημα μέγα, ὃ ἦν τοῦ τείχους καὶ αἱ πλησίον θύραι ἀνεῳγμέναι ἔτυχον αὐτοῦ.* Proprie pro *αὐτοῦ* relativum *οὗ* erat ponendum, sed mutata structura verba inde a *καὶ* libere procedunt. Sic plerumque pro relativo, quod eodem aut alio casu repetendum erat, pronomen *αὐτὸς* supponitur. Cf. II, 72. 1; 74. 2; 99. 4; IV, 42. 2; VI, 91. 5; VIII, 76. 5. Omissum autem est pronomen II, 41. 2; 76. 3; IV, 89. 2; V, 2. 2; 5. 1; VI, 10. 1.

Cf. Krueger. gr. gr. §. 59. 2 annot. 4. 5. 6. 8. 9. — Ebhardt. l. c. p. 8 sqq. — Poppo I, 1. p. 270 spp.

§. XXI

Cognatum huic anacoluthiae generi id dixerim, quod fit duabus structuris conjunctis, cujus usus primum exemplum

habes I, 3. 2 (cf. verba) ubi primum, quasi pro interjecto sit verbum *δοκεῖ*, indicativus est positus *εἶχεν*, deinde, ut ex verbo regenti suspensi sunt infinitivi *εἶναι* et *παρέχεσθαι*. Non autem sine ratione ita variavit orationem Thuc., eximia enim in ea est subtilitas. Nam priorem illam sententiam (*εἶχεν*) certam sibique persuasam habet; quae deinde sequuntur, conjectura potius suspicatur. Eodem modo ponit IV, 62. 1 post *δοκεῖτε* in priore membro optativos *παύσαι* et *ξυνδιασώσαι*, deinde transit ad acc. c. inf. *ἔχειν τὴν εἰρήνην*.

Tales diversarum structurarum conjunctiones in universum apud Thucydidem frequentissimae sunt: verbum *ὑπακούειν* genitivum regit et dativum; Thuc. ambas structuras conjungit. Cf. VI, 82. 2; post *ἐξηγεῖσθαι* sequitur dativus et accusativus VI, 85. 2; post *ἀποστερίσκειν* genitivus et accusativus VI, 91. 7; similia. Verba dicendi construuntur cum *ὅτι* vel *ὡς* et acc. c. inf. cf. VIII, 78. 2; verba putandi cum inf. et partic. cf. VII, 68. 1; post verba eundi consilium itineris participio et infinitivo exprimitur I, 72. 1; alia.

Sed haec omnia tam sunt usitata atque ita ex ipsius graecae linguae natura et mobilitate orta, ut neminem offendant et anacoluthis vix sint annumeranda. Cf. Matthiae gr. gr. §. 632. 5.

§. XXII.

Vera autem eaque dura exsistit anacoluthia, si tales et omnino duae constructiones in unam conjunguntur confundunturque. Sic structura ab *ὅτι* inchoata cum infinitivi constructione miscetur V, 46. 3: *εἰπεῖν τε ἐκέλευον ὅτι καὶ σφεῖς... πεποιῆσθαι κ. τ. λ.* Aliter IV, 37: *Γνοὺς δὲ ὁ Κλέων καὶ ὁ Δημοσθένης ὅτι... διαφθαρησομένους αὐτοὺς...*, *ἔπαυσαν κ. τ. λ.* Aut dicendum erat *ὅτι... διαφθαρήσονται*, aut *ὅτι* omittendum. Assimili ratione dicit Thuc. IV, 63. 1 *διὰ τὸ ἤδη φοβεροὺς παρόντας Ἀθηναίους* V, 7. 1 *διὰ τὸ ἐν τῷ αὐτῷ καθημένους*, et, optimis plurimisque codicibus ad-

stipulantibus VIII, 105. 2 *διὰ τὸ κρατήσαντες ἀδεῶς ἄλλοι ἄλλην ναῦν διώκοντες* — „durum", dixerim cum Horatio (carm. I, 24. 19 sqq.) „sed levius fit patientia, quidquid corrigere est nefas!"

Quare quum Krueger. infinitivos pro participiis scribi velit, haec mihi medecina violentior videtur, quam ut adhiberi liceat.

Pari modo non video causam, qua commoti viri docti tantas cierint turbas in explicando et corrigendo loco III, 51. 2 *ἐβούλετο δὲ Νικίας τὴν φυλακὴν... εἶναι, τούς τε Πελοποννησίους, ὅπως μὴ ποιῶνται ἔκπλους αὐτόθεν λανθάνοντες κ. τ. λ.* De variis jam tentatis explicationibus adi interpp. Ut mihi videtur, scriptor symmetriae ut ita dicam studio ductus in infinitivo *τούς τε Πελοποννησίους μὴ ποιεῖσθαι* pergere volebat, qua constructione postea non apta visa deflectit ad conjunctionem *ὅπως*. Simillime V, 36. 3 *τὸ μέντοι Πάνακτον ἐδέοντο Βοιωτούς, ὅπως παραδῶσι Λακεδαιμονίοις κ. τ. λ.* duae structurae *ἐδέοντο Βοιωτοὺς παραδιδόναι* et *ἐδέοντο ὅπως κ. τ. λ.* sunt permixtae.

Frequentissima hujus generis constructio ea est, qua in definitionibus pro infinitivo sententia relativa ponitur. II, 44. 1 *τὸ δ'εὐτυχές, οἳ ἂν τῆς εὐπρεπεστάτης λάχωσιν κ. τ. λ.* Thuc. dicere debebat aut *εὐτυχές ἐστι τὸ λαχεῖν* aut *εὐτυχεῖς εἰσίν, οἳ ἂν λάχωσιν*, sed utraque orationis forma in unum conflata dicit *εὐτυχές ἐστιν οἳ ἂν λάχωσιν*, nisi, quae quidem explicatio mihi magis arrideat, eo confugere velis, ut statuas, relativam sententiam positam esse pro enunciato condicionali *εὐτυχές ἐστιν, ἐάν τις λάχῃ*. Cf. Thuc. II, 62. 5; III, 45. 5; IV, 18. 2; VI, 14; 16. 4; VII, 68. 1 cf. Matthiae gr. gr. §. 633. Krueger. gr. gr. §. 51. 13. 11.

Quodammodo etiam huc pertinet IV, 93. 2 *τῷ δὲ Ἱπποκράτει, ὄντι περὶ τὸ Δήλιον, ὡς αὐτῷ ἠγγέλθη, ὅτι Βοιωτοὶ ἐπέρχονται, πέμπει κ. τ. λ.* ubi duplex loquendi genus *τῷ Ἱπποκράτει ὡς ἠγγέλθη* et *ὁ Ἱπποκράτης, ὡς αὐτῷ ἠγγέλθη*

conjunctum esse explicare liceat, quamquam hanc structurae formam erunt, qui ad pleonasmum referre malint.

Porro si Matthiaeus (gr. gr. §. 633) et Ebhardt l. c. p. 11 etiam in locis, velut I, 33. 3 *ἵνα μὴ... δυοῖν φθάσαι ἁμάρτωσιν* (cf. Thuc. I, 138. 2; II, 97. 2; V, 15. 1; III, 53. 2; II, 35. 1; III, 4. 4; 6. 2; IV, 92. 7; VI, 22. 3) anacolutham constructionum confusionem inesse suspicantur, dubito an recte faciant. Statui quidem potest, duas structuras *δυοῖν ἁμάρτωσιν* et *δύο φθάσαι ἁμάρτωσιν* in unum esse contractas itaque in universum saepenumero post substantiva, adjectiva vel verba, quae et genitivum aut dativum et acc. c. inf. regant, utrumque conjungi; sed haec explicationis via mihi nimis quaesita videtur atque rectius infinitivum per exegesin additum dices, aut, quod mihi placet, notionem *δυοῖν* proprie ad infinitivum pertinentem per notam illam anticipationem ad vocem regentem *ἁμάρτωσιν* esse positam; de quo dicendi genere Graecis usitatissimo cf. Krueg. gr. gr. §. 61. 6 impr. adn. 8.

Non autem anticipatio, ut Poppo vult, statuenda est, sed revera commixtionem redolet I, 23. 5 *τὴν μὲν γὰρ ἀληθεστάτην πρόφασιν, ἀφανεστάτην δὲ λόγῳ τοὺς Ἀθηναίους ἡγοῦμαι μεγάλους γιγνομένους καὶ φόβον παρέχοντας τοῖς Λακεδαιμονίοις ἀναγκάσαι ἐς τὸ πολεμεῖν.* Confluxerunt in unum duae locutiones: *τὴν ἀληθεστάτην πρόφασιν τοὺς Ἀθηναίους ἡγοῦμαι μεγάλους γιγνομένους* et: *τοὺς Ἀθηναίους ἡγοῦμαι μεγάλους γιγνομένους ἀναγκάσαι ἐς πολεμεῖν.* Plura de h. l. v. apud Campe., obss. crit. p. 21 sqq.

INDEX.

conjunctum esse explicare liceat, quamquam hanc structurae formam erunt, qui ad pleonasmum referre malint.

Porro si Matthiaeus (gr. gr. §. 633) et Ebhardt l. c. p. 11 etiam in locis, velut I, 33. 3 *ἵνα μὴ... δυοῖν φθάσαι ἁμάρτωσιν* (cf. Thuc. I, 138. 2; II, 97. 2; V, 15. 1; III, 53. 2; II, 35. 1; III, 4. 4; 6. 2; IV, 92. 7; VI, 22. 3) anacolutham constructionum confusionem inesse suspicantur, dubito an recte faciant. Statui quidem potest, duas structuras *δυοῖν ἁμάρτωσιν* et *δύο φθάσαι ἁμάρτωσιν* in unum esse contractas itaque in universum saepenumero post substantiva, adjectiva vel verba, quae et genitivum aut dativum et acc. c. inf. regant, utrumque conjungi; sed haec explicationis via mihi nimis quaesita videtur atque rectius infinitivum per exegesin additum dices, aut, quod mihi placet, notionem *δυοῖν* proprie ad infinitivum pertinentem per notam illam anticipationem ad vocem regentem *ἁμάρτωσιν* esse positam; de quo dicendi genere Graecis usitatissimo cf. Krueg. gr. gr. §. 61. 6 impr. adn. 8.

Non autem anticipatio, ut Poppo vult, statuenda est, sed revera commixtionem redolet I, 23. 5 *τὴν μὲν γὰρ ἀληθεστάτην πρόφασιν, ἀφανεστάτην δὲ λόγῳ τοὺς Ἀθηναίους ἡγοῦμαι μεγάλους γιγνομένους καὶ φόβον παρέχοντας τοῖς Λακεδαιμονίοις ἀναγκάσαι ἐς τὸ πολεμεῖν.* Confluxerunt in unum duae locutiones: *τὴν ἀληθεστάτην πρόφασιν τοὺς Ἀθηναίους ἡγοῦμαι μεγάλους γιγνομένους* et: *τοὺς Ἀθηναίους ἡγοῦμαι μεγάλους γιγνομένους ἀναγκάσαι ἐς πολεμεῖν.* Plura de h. l. v. apud Campe., obss. crit. p. 21 sqq.

INDEX.